ACTUS SOLLENNES
GYMNASII REGII
BIPONTINI

PRID. CALEND. SEPTEMBR. MDCCCXXX

RITE HABENDOS

RECTORIS COLLEGIIQUE NOMINE

INDICIT

ERNESTUS VICTOR EDUARDUS VOGEL

IN SCHOLA LATINA CUM GYMNASIO JUNCTA PRIMÆ CLASSIS PRAECEPTOR.

Praemittuntur observationes ad aliquot Ciceronis locos.



BIPONTI

TYPIS RITTERIANIS.

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes;
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere currum,
Pauperibus sacris vilia tura damus.

Propert. Eleg. II., 8, 25 sqq.

In Ciceronis *de claris oratoribus* libro, qui dicitur *Brutus*, 4, 16. haec leguntur:

„Nec enim ex novis (ut agricolae solent) fructibus est, unde tibi reddam quod ac-„cepi; sic omnis fetus repressus exustusque *flos siti* veteris ubertatis exaruit: nec ex „conditis, qui jacent in tenebris, et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, „obstructus est.“

Mirificam hujus loci elegantiam, quae cernitur in comparatione ac tropo ita mixtis, ut hic ab illa magnam perspicuitatem, illa vero ab hoc miram suavitatem mutuetur, ita non ceperunt hujus libri interpretes, ut, quum minus bene cessisset interpretandi conatus, abjecta denique omni explicandi spe ad conjecturas etiam sibi confugiendum putarint. De quibus dicam equidem singulis, si prius, quae totius metaphorae sententia maxime nobis ad veritatis similitudinem videatur esse propensa, explicuero. Sic enim facillime, quid habeat autcoritatis et vulgata scriptura et ejus correctiones, judicabimus. Inter omnes autem hujus loci explicandi rationes maxime nobis, merito suo, arridet ea, quae sollerti *Schützii* ingenio accepta fertur. „*Novi fructus*, inquit V. D., intelliguntur novae orationes, quas Cicero vel coram populo, vel in judiciis, vel in Senatu potuisset habere, nisi, converso rei publicae statu, eloquentia conticuisset. *Conditi fructus* sunt orationes olim quidem habitae, sed nondum perfectae atque editae. Has dicit *in tenebris jacere* i. e. neglectas in scriniis; *aditumque sibi ad eos, qui paene solis patuerit*, *obstructum* h. e. injuria temporum se deterreri, quominus eas iterum in manus sumat edendasque curet, omnino

vix ab alio quodam adhuc lectas.“ At *Ellendtius* contra hanc explicationem exoritur, dubitans num satis humaniter sibi soli aditum ad has literas patuisse, hoc est, se solum fere oratorem fuisse, dicere Cicero potuerit, existimatque significari potius omnes bonas literas, quas colere temporum causa animus non fuisset. Non tantum ponderis habent, quae V. D. in contrariam partem affert, ut me, quominus cum Schützio faciam, impediant. Nam et aperte Reverendi senis sententiam calumniatus est Ellendtius, quippe qui Schützium ea dicentem ac cogitantem faciat, de quibus ille ne somniavit quidem (eaque nobis causa fuit integra Schützii verba describendi), neque vidit, id quod admodum miror, tum demum arrogantiae reprehensionem non effugere posse Tullium, si sibi soli aditum ad has literas patere, hoc est, se unum sapere solumque omnium Romanorum bonarum artium studiosum esse diceret. Quod tam stulte, tam eroganter dictum quis est qui Ciceroni obtrusum velit? Nihil itaque loci relinquitur Ellendtii interpretationi, quem, errantem in hoc loco expediendo, vel verba sqq. *seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo,* de libris rhetoricis et philosophicis accipienda, in viam reducere potuissent, si eorum vim exquirere tanti putasset. Ventum est igitur ad verba *exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit*, quae, dici vix potest, quanto opere criticos vexarint. Quorum plerique suam Ciceroni integritatem sibi visi sunt restituisse verbis, duce Lambino, ita transpositis *exustusque siti flos veteris ubertatis exaruit.* Verum quis credat, tam stultum fuisse Ciceronem, ut, quum simpliciter dicere vellet, omnem veterem suam exaruisse ubertatem, id tanto circuitione et amfractu exprimeret? At, inquit Ellendtius, *flos vet. ub. sit. exust.* recte dicitur, in primis eleganti figura de plantis aquam et irrigationem poscentibus, quam nisi accipiunt, exarescunt. Sed ea elegantia nulla est, neque quidquam ista transpositione lucramur, praeter manifestam et frigidam tautologiam, quum *flos sit. exust.* nihil differat ab *exaruit.* Nec minus a vero abhorret Orellii conjectura *exustusque flos* (videl. segetis, absolute positus, ut ante *fetus*) *situ veteris ubertatis exaruit.* Non solum enim eodem in vitio est, quo Labini metathesis, sed novum etiam affert. Nam quum *situ* corripi fere soleant res, tractari et usurpari desitae, i. e. *jacentes in tenebris*, quis non videt, assumta sic in prius comparationis membrum notione, quae alterius membri propria est, obscurari tropi elegantiam et perire funditus vim venustatemque oppositi, quod est in *novis fructibus* et *reconditis?* Quomodo vero *flos situ exaruit* Latina consuetudo admittat, ipse viderit hujus emendationis auctor: nos quidem ad vivum id nunc resecare nolumus. Satis enim ex iis, quae hactenus disputata sunt, apparere arbitror, quam versa et mutata in pe-

jorem partem sint omnia. Eas igitur conjecturas qui consideret, quam inconsulte ac temere proferantur, defendere vulgatam debeat. Nec est melius quidquam scriptura codicum, cujus haec est sententia: „exustus flos summo tenetur desiderio pristini status reipublicae, in quo amplissima erat eloquentiae materia.“ Tam est haec recte enunciata sententia, tam conveniens acerbo animi dolori, quem ex afflicta illis temporibus eloquentiae conditione reque publica amissa, susceperat Romanae eloquentiae princeps Cicero, ut vix putem alia de causa hanc explicationem a Schützio, qui inter plures h. l. explicandi rationes fluctuans in eandem et ipse inciderat, prae Lambini conjectura esse neglectam, quam quod Lambini, locum corruptum esse affirmantis, judicium animum occupasset. Quod autem diximus, verba *flos siti vet. ub. exar.* nihil sonare aliud, nisi *flos sitienter expetit* (Tusc. IV. §. 37) *veterem ubertatem*, id verum esse intelliges, comparato loco de republ. I, 43, 66. *inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti*; ubi quid aliud Cicero quam Platonis verba Polit. VIII. p. 562, C. δημοκρατουμένη πόλις, ἐλευθερίας διψάσασα imitando expressit? Vocabo *ubertate* autem, in quo tricatur Ellendtius, aptissime usus est Cicero in metaphorae, a re rustica ductae, continuatione. Est enim voc. totum rusticum, cfr. de Orat. II., 23, 96. *in qua* (oratione) *interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est;* qui locus ostendit simul, id quod pulchre vidit *Carolus Beierus*, b. m., in praestanti interioris doctrinae monumento, librorum *de Offic.* editione t. 2. p. 356. ad verba h. l. *ut agricolae solent, non facere,* cogitatione esse intelligendum, sed *dicere*, quod item supplendum relinquitur infra 40, 149. *licet omnia hoc modo* et de Nat. Deor. I, 26, 74. *quod inter nos liceat;* quocirca non dubito, quin II. ad Att. ep. 4, 1. *quod inter nos liceat dicere* rectissime Ernestius judicarit, v. *dicere*, quod Cod. Helmst. excludit, a glossatore esse additum.

Ibid. 5, 19. „Itaque, quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est, „quod huic debes, ego a te peto. *Quidnam id?* inquam. Ut scribas, inquit, ali- „quid. Jam pridem enim conticuerunt tuae literae. Nam ut illos de republica libros „edidisti, nihil a te sane postea accepimus; eisque nosmet ipsi ad veterum annalium „memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. Sed illa quum poteris, „atque ut posis, rogo. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod „*quaerimus*. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de „oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent.“

Hujus loci sententia quum non ita posita sit in promptu, ut cuivis facile appareat, Schützius, certissimo utique in talibus remedio, verbis a *quidnam id?* usque ad *quaerimus* crudeliter exsectis connexaque orationis serie ejectis, ita legenda haec verba continua putat: *Itaque quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est, quod huic debes, ego a te peto. Quid nam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent* et quae sequuntur. Urere istuc quidem est, non sanare! Neque quidquid paulo difficilius est, protinus etiam corrigendum. Quocirca nemini, opinor, persuadebit Schützius, quamvis speciosis argumentis pro opinione sua propugnet, tot verba, quae omnes codd. et edd. habent, et eodem modo scripta habent, casu nescio quo huc esse translata. Neque tamen, quae protulit Schützius ad vindicandam suspicionem suam, unius aestimanda sunt assis, ut non indigna nobis videatur conjectura ejus, non satis refutata ab Ellendtio, ne commemorata quidem ab Orellio, quae subtilius expendatur, praesertim quum relicui hujus libri interpretes tam suspenso pede hunc locum transierint, ut ne quaerere quidem de sententiarum nexu laborarint.

Ac primum quidem quaerit Schützius, quomodo in mentem venire potuerit Attico, a Cicerone petere, ut aliquid scriberet, quum paulo ante [§. 16] jam Cicero ei pollicitus esset, se aliquid scripturum idque ille se exspectaturum nec nisi ejus commodo exacturum [§. 17] dixisset. Ego vero, quid ad vulgatae scripturae fidem infringendam hoc argumentum valeat, non video. Quid enim? Num Cicero, quia paulo ante pollicitus est, se aliquid, quo Atticum remuneraretur, scripturum, idcirco Bruto etiam scriptionem promisisse censendus est? Minime vero! Promiserat Cicero Attico scriptionem, quam quum ille non moleste flagitaret, Brutus, voluntarius ejus procurator, petit, cui se satisfacturum pollicetur Cicero. Haec necopinata Tullii facilitas Attico etiam usque eo addidit animum, ut, quae Bruto deberet Tullius, flagitare ab eo non dubitaret. Attici autem verba *quod huic debes ego a te peto*, tantum abest, ut, quod Schützius sibi persuasisse videtur, scriptionis vim contineant, ut, quale sit illud debitum, plane incertum relinquant. Deinceps demum interroganti Tullio, quid sit id, quod Bruto deberi dixerit, respondet Atticus: *ut scribas aliquid*, hoc est, „Bruto aeque ac mihi scriptionem debes.“ Schützius vero non potuit, quin in laqueos se indueret, qui, quem Ciceronis librum diceret Atticus, quaerendum putaret. Nam, ne longe abeam, quod a Cicerone scribi vult Atticus, nihil videtur esse aliud praeter hunc ipsum *de claris oratoribus dialogum*. Cohaerent enim: *ut scribas aliquid* cum *sed illa quum poteris atque ut possis rogo. Nunc vero expone nobis quod quaerimus;* cetera in pa-

renthesi sunt accipienda. Itaque sententia totius loci, nisi me fallit, haec est: „Petimus a te, ut aliquid, quod ad Brutum mittatur, conscribas; sed eum, quem quaerimus, librum, quum tibi commodum videbitur, literis consignare poteris; nunc nihil a te volumus, nisi, ut libri a te scribendi summas nobis exponas.“ Verba *scribas*, *expone*, tamquam opposita, pronunciando sunt premenda atque acuenda. Videtur autem Cicero, quum Atticum haec dicentem facit, respexisse ad morem illum veterum oratorum, quo orationes scribebantur non habendae sed habitae (cfr. F. A. *Wolf.* praef. ad. orat. pro Marcell. p. XIX) eundemque etiam ad alios alius argumenti libros transtulisse, plane ut Tusc. Disp. V, 41, 121. *Sed quoniam mane est eundum, hos quinque dierum disputationes memoria comprehendamus. Equidem me etiam conscripturum arbitror* et, qui locus in primis huc facit, de legg. I, 4, 13. *Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsecivis, ut ais, temporibus et conscribis de jure civili subtilius:* quum *et conscribis* positum sit pro *et deinde conscribis.* Fateor enim mihi a Goerenzio non persuasum, Ciceronem ibi, immemorem Attici haec loquentis, scriptoris partes cum actoris in dialogo partibus confudisse. Nam exempla hujusmodi confusionis, quae permulta a *Chapmanno in diss. de aetate libb. de legg.* §. V. (cujus mihi libri inspiciendi facultas non contigit,) e Ciceronis dialogis collecta esse dicit V. D., ubi legantur scire pervelim; mihi quidem, diligenter in hanc rem inquirenti, quod certum sit, unum tantum succurrit Brut. 49, 181. *Quid enim est superioris aetatis, quod scribi possit de eis*, ubi tamen illud ipsum Ciceronem excusatum habet, quod ex sua persona loquitur. Quod autem Lael. 27, 104. *Haec habui de amicitia quae dicerem* Cod. Lips., itidemque in clausula *libri de Senectute* cod. Ciz. C. pro *dicerem* substituunt *scriberem*, id merito, tamquam ineptum librariorum glossema, repudiarunt doctissimi illorum librorum interpretes, Gernhardus et Beierus. Sed, ad rem ut redeam, parum facetiarum *Ernestio*, *Schützio*que inesse visum est in verbis *quum poteris*, *atque ut possis*, *oro.* Quod ut iis facile concedo, ita quidquam mutandum esse nego et in Ellendtii, sive potius Schützii interpretatione *ut possis* pro *ut posse velis* i. e. *ne te posse dissimules* positum accipientis, acquiescendum puto. Nam et in omnibus libris, tam scriptis quam prelo excusis, verba illa leguntur, neque desunt exempla, in quibus *posse*, non secus ac Graecorum δύνασθαι, eam aliquando potestatem habeat, quae proxime per ἐθέλειν et *velle* exprimatur, cfr. G. *Koen.* ad *Gregor. Corinth. de dialect. lingu. Gr.* p. 136 ed. Schaefer. Quamvis autem frigidum sit, aliquem *ut possit* rogare, nescio tamen an multo etiam magis prae illo lepore frigeant Ernestii

et Schneideri conjecturae, quas commemorare nihil attinet. Verendum omnino, ne, talia qui sollicitent, Ciceronem potius, nimium facetiarum captatorem, quam librarios, corrigere videantur.

Quod autem secundo loco reprehendit Schützius, Atticum, avidissimum librorum a Cicerone scriptorum lectorem, dicere non potuisse, se post libros *de republica* nihil ab eo postea accepisse; exstitisse enim jam libros *de legibus*: facilis et prompta est responsio, legum libros quasi quasdam appendiculas fuisse librorum de republica. Sed ne opus quidem ad hanc explicandi rationem confugere. Recte atque ordine hoc argumento ad id, quod voluit, probandum usus esset Schützius, si verum et exploratum esset, quod vulgo creditur et nuper demonstrare conatus est *Moserus* in *Introduct. in Cic. de legg. libr.* p. XXVI., legum libros editos esse a. A. V. C. 701, id est, quinque ipsis annis ante hunc *de claris oratoribus librum*, quem anno 706, si minus editum, certe habitum esse, liquido constat. Nunc vero pro certo atque concesso sumit Schützius, quod dubium controversumque est. Certissime enim evicit *Beierus* in *Jahnii annalibus philolog. et paedagog.* a. 1826 Vol. I. fasc. 2. p. 346. itemque in *Darmstadiensibus nunciis scholasticis* a. 1828. n. 19. p. 145 sq. *scriptos* esse legum libros multo post libros *de divinatione*, verissimumque est, quod addit idem V. D., de tempore, quo *editi* fuerint illi libri, nihil omnino pro certo affirmari posse.

Postremo „ineptum, inquit Schützius, erat addi: *si es animo vacuo,* ab eodem scilicet homine, qui paulo post dicturus erat: *quum te sciremus esse vacuum.*“ Enimvero nimium causae, quam susceperat, studium hic etiam transversum egit virum doctissimum, ut non videret, *si* particulam causali (= quoniam) non condicionali vi esse positam, de qua ejus potestate cff. *Drackenborch.* ad Liv. VII, 13. *Garatoni* ad Milonian. p. 154. ed. Lips.

Ibid. 5, 21. „Ego vero, inquam, si potero, faciam vobis satis. Poteris inquit: relaxa „modo paullum animum, aut *sane*, si potes, libera.“

Quae vis potestasque subjecta sit particulae *sane*, me nescire fateor. Neque satisfaciunt, quae ad ejus vim explicandam afferunt interpretes. Proferendus erat locus, ubi *sane* adverbio *paulum* opponatur, in quo quaerendo operam, ut opinor, perdas. Itaque non dubitem assentiri *Wetzelio*, ingeniose et feliciter emendanti: *aut plane, si potes, libera.* Nam, praeterquam quod utriusque vocis non est insolita permutatio (cf. *Paradox.* prooem. §. 2), egregie hanc conjectu-

ram firmant hi loci Tulliani: ad Fam. VII, 1, 5. *quibus* (occupationibus) *si me relaxaro — nam ut plane exsolvam, non pestulo — te ipsum docebo.* Ibid. XVI, 9, 2. *Servus Cn. Plancii Brundisii tandem aliquando mihi a te exspectatissimas literas reddidit, quae me molestia valde levarunt: utinam omnino liberassent.* Eadem particula corrupta mihi latere videtur infra 35, 131. in verbis: *Doctus etiam Graecis T. Albucius, vel potius paene Graecus*, ubi *paene*, vereor, ne pro re nimis lene sit. Mihi certe efficacius, atque adeo, propter *vel potius* correctioni antecedentium verborum *doctus etiam Graecis* inserviens, prorsus necessarium videtur *plane Graecus,* nisi quae forte in *paene Graeco* ironia inest, major illa, quam ut eam intellectu consequi possit infirmitas mea. Fuit autem in eorum numero *Albucius*, qui (*Ciceronis* sunt verba *de Finn.* III, 2, 5) *se Graecos magis quam Romanos haberi voluerunt.* Aliter itaque quam *plane Graecus* in hac verborum structura appellari non potuit homo, et excellens Graecarum literarum doctrina usuque, et latinas literas ita prae Graecis fastidiens, ut in Graecis tantum habitaret neque umquam ad agrestiores Latii Musas descenderet. Hinc illud est, quod addit Cicero: *loquor, ut opinor; sed licet ex orationibus judicare.* Videlicet Albucius ita sese in Graecas abdiderat literas, ut latina etiam ejus oratio Graecum colorem duceret ac peregrinum quiddam sonaret, idque non sponte oblatum, sed dedita opera quaesitum. At video fore, qui conjecturae nostrae sic occurrant, ut orationes, quas commemorat Tullius, Albucii, Graece fuisse scriptas dicant, sed ita Graece, ut facile tamen usquequaque hominem Romanum agnosceres, et idcirco cum levi quadam ironiae umbra *paene Graecum* vocari censeant Albucium, quippe qui voluisset quidem Graecum se hominem haberi, neque tamen consequi id potuisset. Quibus ego, etsi facile do, multos Romanos orationes, historias, alia generis ejusdem, Graece quam Latine maluisse scribere (quod quum e multis hujus ipsius libri locis *) colligi

---

*) Velut. 21, 28. *A. Albinus is, qui Graece scripsit historiam.* 19, 77. *Indicant quum oratiunculae, tum historia quaedam Graeca, scripta dulcissime;* ubi Orellius legendum suspicatur *Graece scripta.* Cui conjecturae etsi favere videntur, quos suam in rem uti potuisset Orellius, loci Academ. II. 45, 137. *A. Albinum, doctum sane hominem, ut indicat ipsius historia, scripta Graece.* de Off. III, 32, 115 *Acilius, qui Graece scripsit historiam;* tamen ne sic quidem locum mutandum censeo. Nam *historia Graeca* non est de rebus Graeciae scripta, sed res Romanas Graeca oratione scriptas continens. Prorsus eodem modo locutus est Cicero Tusc. Disp. V, 38, 112. *Pueris nobis, Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat nec amicis deliberantibus deerat et Graecam scribebat historiam.* de Divinat. I., 22, 43. *In Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus,* ubi consul. Moseri annotatt. p. 110. Et consulto videtur usus esse Cicero adjectivo (Graeca), ad utrumque substantivum (oratiunculae — historia) referendo.

potest, tum constat ex *Aulo Gellio* Noctt. Att. XI, 8. p. 12. ed. Bip. atque ex *Nogarolae* libello *de Italis, qui Graece scripserunt*, laudato a *Drackenborchio* ad Liv. 25, 39. p. 215. ed. nov.), non assentior tamen, hunc locum in ejusmodi sententiam esse detorquendum. Nam neque aliunde probari potest, Graecas scriptas esse ab Albucio orationes et, quem Cicero testatur *Graecis doctum* fuisse, eundem commode Graeca lingua usum esse necesse est. Sed quid plura? Omnem nobis scrupulum eximit de Finn. I., 3, 8. ubi de eodem homine loquens Cicero: *Res vero bonas, verbis electis, graviter ornateque dictas, quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici velit: ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius.* (9) *Quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius: apud quem praeclare Scaevola:*

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum, —
Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, quum ad me accedi', saluto:
Χαῖρε, *inquam, Tite: lictores, turma omni', cohorsque*
Χαῖρε, *Tite!* —

Ibid. 8, 33. „Ante hunc (Isocratem) enim verborum quasi structura et quaedam ad nume-„rum conclusio nulla erat: aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse „quaesitam: quae forsitan laus sit: verumtamen natura magis tum casuque nonnum-„quam *quam aut* ratione aliqua aut observatione fiebat."

Particula *quam* quum in libris Mss et edd. vett. desideretur, Ellendtius et Orellius, aurium potius judicio stantes, quam sententiae rationem habentes, non dubitant longe praestantiorem dicere Prisciani h. l. scripturam, a Rivio laudatam: *Verumtamen natura magis tunc, casuque nonnumquam, haud ratione aliqua aut ulla observatione fiebat.* Sed, quod verissime annotavit Orellius ad Verr. V., 63, 163. Vol. II. P. II. p. 374. nihil fallacius esse, quam ejusmodi correctiones e veteribus rhetoricis, et grammaticis petitas, id haud scio an in hanc quoque scripturam conveniat. Nimirum Prisciano, quod aliis locis bene multis, id hic quoque accidit, ut per memoriae lapsum *haud* scriberet pro *aut.* Neque persuadetur nobis, tam inepte Ciceronem locutum esse, quam Priscianus eum ineptientem facit. Quid enim? Num quidquam, quod ineptius sit magisque sibi repugnet, cogitari potest, quam, in quo potiores naturae quam rationis partes esse

dixeris, in eodem rursus ullas rationis esse partes negare? Poterat Cicero, omisso vocabulo *magis*, scribere: *natura tum casuque nonnumquam, haud* cett.; nemo dicet secus; sed *natura magis, haud* tam ineptum est, quam esset, si infra **95, 325.** in simili sententiae conformatione pro *erant quaedam magis venustae dulcesque sententiae, quam aut necessariae aut interdum utiles* scribere voluisset: *erant quaedam magis — sententiae, haud interdum utiles;* nisi forte alibi mentem habuisse atque etiam dormitasse ponis sermonis latini principem, qui nil molitur inepte. *Quam* autem a praecedentis vocabuli extrema syllaba extritum esse, facile apparet. Et frequentissime solent librarii in tali ejusdem syllabae aut vocabuli geminatione alterutrum omittere; de qua re cf. quos laudant *Beierus* ad Off. t. 1. p. 86. *Moserus* ad de re publ. p. 175. Sic in hoc ipso libro §. 87. *aliud alii* Mss. *alii* omittunt, iidemque §. 89. habent *Rutilia narratione* pro *Rutiliana.* Neque compositio *nonnumquam quam* asperior videri debet, quam pro Caecin. 5, 14. *magis opportuna opera n o n n u m q u a m q u a m aliquando fideli.* Plurima talis παρηχήσεως exempla, e Ciceronis libris collecta, large et munifice dedit *Beierus* Officc. t. I. p. 143. Lael. p. 122.

Ibid. **30, 114.** „Itaque illa, quae propria est hujus disciplinae, philosophorum *de se ipso-* „*rum* opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est.“

In hoc loco expediendo interpretes (quod pace virorum ingenio atque doctrina excellentium dixerim) frustra omnino laborarunt. Neque ego negaverim, ex vulgari hujus loci distinctione commodam et idoneam sententiam non posse elici, quum voc. *ipsorum* prorsus ignavum sit neque habeat, quo se tueatur. Nam locus a *Schevingio* (teste Orell. in Addend. V. II, P. I, p. 586.) in auxilium vocatus Liv. I, 28. *vestrae ipsorum virtuti* quid ad praesens propositum magno opere pertineat, non reperio. In isto enim loco satis justa fuit causa pronominis addendi, in hoc, quo de nunc agitur, non item. Quin etiam illud non dubitans dixerim, in vulgari hujus loci interpungendi ratione nihil esse loci vocabulo *philosophorum.* Nam quum nihil aliud agat Tullius, nisi ut Stoicorum philosophandi rationem adversariam fuisse demonstret Rutilio, vox illa, quod proprium ac praecipuum fuit Stoicorum, commune facit omnium omnino philosophorum; quo nihil dici potest a mente Ciceronis alienius. His igitur difficultatibus ut mederetur, *Schütztius* audacius certe et ingeniosius, quam aut verius aut consideratius, ejecto *ipsorum* conjecit

2

philosophorum de sapiente opinio; eamque conjecturam dum taxat hactenus probarunt circumspectiores critici, *Ellendtius* et *Nobbius*, ut servato *de se* satis haberent obelo configere *ipsorum.* Neque tamen his omnibus quidquam proficitur. Nobis, re longe multumque quaesita, locus sanissimus esse videtur ac ne literula quidem mutanda. Omnes enim illae turbae e prava interpunctione sunt ortae. Quodsi ita distinxeris: *Itaque illa, quae propria est hujus disciplinae philosophorum, de se ipsorum opinio, firma in h. v.* cett.; aptissime structura decurret neque quidquam ad loci integritatem requiras. Ut autem h. l. *hujus disciplinae philosoph.* ita dicitur de Finn. V, 15, 13. *reliquarum philosophi disciplinarum* et Tusc. Disp. V, 41, 120. *ceterarum disciplinarum philosophi.* Jam, quum constructionis ratio ita sit expedienda: „Itaque illa, quae philosophorum hujus disciplinae propria est, opinio ipsorum de se, firma — inventa est.“, facile est ad intelligendum, *ipsorum de se* non *de se ipsis* dicendum fuisse, quum *oppositio* (cujus ubique in hujus pronominis usu habenda ratio est cf. *Ramshorn* in *Grammat. Latin.* p. 335 sq.; *F. Wagner* de pron. *Ipse* in *Seebodii tabulario philol.* I. collect. a. 1824. fasc. 4. p. 648.) in *subjecto* cernatur, neque quid alii de Stoicis, sed quid ipsi de se senserint, h. l. quaeratur. Id si minus intelligitur; clarius, ut opinor, patebit, si Ciceronis verba ita resolveris: „quod omnes hujus disciplinae philosophi faciunt, ut magnifice *de se ipsi* sentiant, id firmum in hoc viro inventum est“: nunc vero, quum Ciceroni dicere placuisset *opinio philosophorum*, pronomen *ipse* ad logicum, ut Grammatici loquuntur, subjectum *philosophorum* accommodandum fuit. Quae autem fuerit Stoicorum *illa de se opinio*, docte explicateque ostendit *Ellendtius*, cujus annotationem et longum est et non necessarium hic repetere.

Ibid. 40, 147. „Etsi satis mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas „audiebam saepe ex C. Rutilio, *quo* utebatur *propter familiaritatem Scaevolae* „*nostri*, tamen ista mihi ejus dicendi tanta laus nota non erat.“

Quocunque te mente et cogitatione converteris, sententiam ex his verbis, quae vel aliquo modo tolerari possit, non elicies. Jure igitur viri docti gravissimum mendum hic sibi visi sunt deprehendisse. Sed quid scripserit Cicero, nemo unus divinare potuit. Omnes enim illi hujus loci emendandi conatus, quos qui tanti putet cognoscere adeat Orellii editionem, hoc incommodi habent, quod a vulgatae scripturae ductibus nimis longe recedunt. Quod idem dictum sit de *Frotscheri* conjectura, proposita in hujus editione

libri X Quintiliani p. 13. probataque Orellio in Addend. V. II, 2. p. 636: *qua utebatur familiaritate Scaevolae nostri.* Nam et nimis dura ad sensum meum atque contorta est haec emendatio, neque persuasit mihi Frotscherus, quae in vulgata est praepositio *propter*, eam a librariis profectam videri explicantibus haec: *qua utebatur familiaritate.* Tum enim, si modo Frotscherianae conjecturae vim assecutus sum, potius *pro* quam *propter*, interpolaturi fuisse videntur librarii. Ego vero, tametsi non id mihi sumo, ut plus intelligam quam viri doctissimi, tamen ut minore mutatione, ita multo verius, servato verborum ordine sic locum e depravatae scripturae vestigiis refingendum arbitror: *quo utebatur perfamiliariter Scaevola noster.* Particulae *per* et *propter* quoties in compendiaria scribendi ratione permutentur, docet *Drackenborch.* ad *Liv. epitom.* l. 84. t. XIII, p. 179. ed. nov. Quum semel *per* in *propter* corruptum esset, verborum *familiaritatem Scaevolae nostri* necessario consecuta est interpolatio. Jam enim non poterant scribae, quin pro adverbio *familiariter*, quod superstes futurum erat, reponerent accusativum *familiaritatem*, eique accomodarent nominativum *Scaevola noster.* At, inquit, vocabuli *perfamiliariter* exempla Ciceroniana desiderantur. Audio; sed quum adjectivum *perfamiliaris* tanto opere frequentet Tullius, causam non video, cur idem ab adverbio cognato abstinuisse putandus sit. Pronomen *nostri,* quod a quibusdam libris omitti testatur Corradus, si abesse malis, non refrager.

Ibid. 46, 172. „Sed domum redeamus, *id est, ad nostros revertamur.*"

„Verb. *id est ad nostros revertamur* spuria visa sunt Lambino, Schützio, Ellendtio. „Defendit Goerenzius (ad Acad. I, 2, 8. p. 14. itemque Gernhardus ad Cat. Maj. 16, 55. p. „106.) iisque omissis nimis sane attenuatur oratio." *Orellius.*

Quamquam non ii sumus, qui post voc. *id est* ubique fere glossema odoremur, tamen ea hujus loci natura est, ut non possimus, quin eorum judicio, qui vv. *id. — revertamur* a Cicerone profecta negant, nostram ascribamus sententiam. Sed quoniam permulti critici, nullam certam ac stabilem sententiam secuti, ubicumque in mentem ac libidinem venit, illam dicendi formulam in glossematis suspicionem vocarunt, rationes, quibus judicium nostrum nititur, reddendae sunt, ne committamus, ut eadem in nos cadat temeritas. Priusquam vero argumenta nostra in medium proferamus, pauca breviter de universo hujus formulae usu dicere visum est. Facilius enim de hoc loco statuetur, toto genere isto explicato.

Atque hoc quidem inter omnes constat, proprium hujus formulae domicilium esse in *explicatione.* Cujus rei supervacuum est ponere exemplum. Illud tamen non indignum quod breviter hic annotetur, voculas *id est*, quotiescumque in *rhetoricis et philosophicis* Ciceronis libris Graeco vocabulo addantur, sanissimas videri. Etenim, quam Cicero Tusc. I, 8, 15. sibi ipse legem scripsit „*ut Graece in Latino sermone non plus loqueretur, quam in Graeco Latine*", eam tanta constantia conservavit, ut elegantiori orationi Latinae, qualis illorum librorum est, non fere admisceret Graeca, nisi ejusmodi technica, quibus Latinum vocabulum, par Graeco et quod idem valeret, in tanto, quo philosophia apud Romanos jacebat, neglectu plane non responderet. In talibus igitur non dubitavit Cicero Graeco sermone uti, ita tamen, ut, quod erat exquisitum illius judicium, ad Graecum vocabulum semper apponeret Latinum, quo et perspicuitati consuleret, et simul, quo Latino vocabulo, nondum ea, qua intelligi voluit, potestate in usum introducto, optime Graecum redderetur, ostenderet. Longe aliter res se habet in *Epistolis.* In quibus, ad Familiares eosdemque Graece plerumque doctissimos scriptis, saepenumero non singula tantum vocabula, sed, id quod in reliquis libris numquam fecit, integros versus, sententias, proverbia Graeca inculcare solet, numquam (qui unus repugnat locus ad Fam. IX, 24, merito suspectus est) sed numquam addita ista explicandi formula. Quod quum VV. DD. saepenumero usu venire vidissent, neque tamen, quo in scribendi genere, quibus in libris, quas ob causas factum esset, satis quaesissent, in eum errorem se passi sunt induci, ut etiam in librorum de *philosophia* et de *arte rhetorica* scriptorum (nam in *orationibus* omnino bis tantum Verr. II, 52. V. 57. Graeca leguntur) innumerabilibus fere locis glossemata hac nota prodi existimarent. Qui VV. DD. si non alio, certe inconstantiae nomine sunt reprehendendi. Nam quum in libris illis omnia Graeca, exceptis tantummodo librorum inscriptionibus *) (Tusc. I, 16, 36) hominumque cognominibus (Finn. V, 30, 92. ἀγέλαστος; Orat. 68, 229. ἀπάλαιστροι; Brut. 76, 265. πολιτικός), Latine explicentur, quid tandem esse causae putemus, quare in aliis interpretationem illam facile tolerarint, in aliis fastidiose repudiarint? Atque in hoc hujus formulae usu adeo sibi con-

---

*) Quare non assentiar Orellio, Brut. 18, 71. *Nam et* O*dyssea* (Livii) *Latina est sic* cett. Ciceronem scripsisse existimanti: *Ulixea.* Vulgatam defendunt etiam *Calpurn. Piso* MS. de contin. vet. poet. Libro I (laudatus a nuperrimo *Ennii annalium* editore, *Spangenbergio*, p. 37): „*Non male Livius Andronicus in* O*dyssea* etc. *Diomed.* p. 366, 39. Priscian p. 606, 27. aliique Grammatici apud *Putschium.*

stitit Tullius, ut etiam vocabulis, Graecis illis quidem omnino, sed Latine cadentibus Latinaque civitate donatis, nonnihil interpretationis adjiceret, velut de Nat. Deor. I, 8, 20. *physiologiam, id est, naturae rationem;* ibid. I, 30, 83. *physicum, id est, speculatorem venatoremque naturae*, itemque magistratuum nominibus, de Invent. II, 23, 69. *Apud Amphictyonas, id est, apud commune Graeciae consilium;* in Verr. IV, 23, 50. *Dionysiarchum, hoc est, summum magistratum.*

Sed ut proprie haec formula explicationis in se continet genus, ita non intra hoc solum consistit. Alter enim ejus usus, longe ille frequentissimus, est is, ut *vim et elegantiam* addat orationi. Quo in genere aut *ironiae* inservit haec dicendi formula, ut *p. Rosc. Am.* 31, 87. *ex tota societate, hoc est, ex tot sicariis.* Ibid. §. 117. *tribus praediis, hoc est, praemiis sceleris;* aut *appositionis* locum occupat, ut *Philipp* I, 7, 18. *in maximis vero rebus, id est legibus;* pro *Sull.* 17, 48. *honor agebatur amplissimus familiae nostrae, hoc est, consulatus parentis tui;* aut idem fere valet quod part. *et*, ut *Philipp* I, 11, 27. *Si consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero, id est, si libere, quae sentiam de republica dixero;* aut alios atque alios significatus habet. Sed otium nobis fecerunt *Ducker. ad Liv. epit.* l. 88. *Ruhnken. ad Vellej. Paterc.* II, 23. *Ochsner ad Olivet. Eclog.* p. 326. ed. sec.

Quem vero tertium hujus formulae usum, ab elegantia probe discernendum, statuit *Cortius* ad Cic. Epist. ad Famill. II, 17, 16 p. 96, *metaphorae interpretationem*, de eo subdubitare liceat. Non est enim, quid dicam Ciceronis, sed ne mediocriter quidem elegantis scriptoris, ad tropum, quo usus sit, id ipsum, in cujus locum assumpta est impropria illa locutio, explicandae rei gratia, apponere. Isto enim modo omnis translatorum verborum elegantia perierit. Quamquam minime me fugit, esse quatenus apud ipsum Ciceronem huic metaphorae aut proverbii (quae saepe unum idemque sunt) explicationi relinquendus sit locus. Sed ita demum fieri posse videtur, si aut ambigui aliquid, dempta illa explicatione, habitura esset oratio, aut demonstrare vult Cicero, metaphora aut proverbiali aliqua locutione, omnium sermone trita neque tamen satis intellecta, id ipsum quodammodo confirmari, qnod antea dixerit. Prioris generis exemplum est ad Famill. IX, 1. *scito me, posteaquam in urbem venerim, redisse cum veteribus amicis, id est, cum libris nostris, in gratiam;* ubi non audiendus Valkenarius ad Euripid. Fragm. p. 194. auctor vv. *id est — nostris* proscri-

bendi; quae nisi Cicero addidisset, Varro vix statim, quinam essent illi *veteres amici*, intelligere potuisset: posterioris autem de Off. I, 31, 110. *Neque enim attinet naturae repugnare, nec quidquam sequi quod assequi non queas. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo, quia nihil decet invita Minerva, ut ajunt, id est, adversante et repugnante natura.* In quos autem locos neutra ratio cadit, ii non dubito quin interpolati sint. Rectissimo igitur judicio Orellius Brut. 62, 222. *abducamus ex acie, id est, a judiciis* postrema verba, auctore et suasore *Ruhnkenio*, tamquam insiticia, uncis saepsit. Quod idem fieri oportuit, et multo etiam magis, in hoc ipso Bruti loco, ad quem nunc tandem redit disputatio nostra. Quo tandem, quaeso, Bruto atque Attico, quibuscum colloquitur Tullius, addidamentum istuc? Verendumne erat, ne illis ambiguitas nescio quae existeret? Scilicet illi, tamquam tirunculi, docendi erant, verba *domum redeamus* non propria vi accipienda esse, et ab eodem homine docendi, qui et longe a perorando aberat et mox additurus erat: *Duobus igitur summis* etc. Huc accedit, quod eandem metaphoram aliis quoque locis usurpat Cicero, in quorum nullo tale additamentum reperias. Sunt autem hi: VII *ad Att. ep.* 1. *Atque haec de rebus forensibus, r e d e a m u s d o m u m* (proprie dicendum fuit, „nunc de rebus domesticis“); *pro Muren.* 31, 66. *Possum de L. Philo, de C. Gallo dicere haec eadem: sed te d o m u m j a m d e d u c a m tuam:* (elegantiorem metaphoram aversantis fuisset dicere „comitatis exempla e tua ipsius familia repetita tibi proponam“); *de Nat. Deor.* III, 30, 74. *Sed exeamus e theatro: veniamus in forum, sessum it praetor* cett. Denique, quod majoris momenti est, si vel maxime opus fuisset explicatione, Ciceronem credo scripturum fuisse: *domum, id est, ad nostros redeamus.* Quid ita? quia, quum inter utrumque verbum hoc intersit, ut *redire* inprimis dicantur, qui post confectum negotium, cujus causa profecti sunt, domum se referunt, *reverti* autem, qui, quum aliquo proficisci voluerunt, ex ipso itinere mutata voluntate sese convertunt et retro eunt (quod quam verum sit, intelligitur ex de Div. I, 15, 26. *Dejotarus rex quum ex itinere quodam proposito et constituto r e v e r t i s s e t, aquilae admonitus volatu: conclave illud, ubi erat mansurus, si ire porrexisset, proxima nocte corruit;* XVI ad Att. ep. 7. *quam valde ille r e d i t u, v e l p o t i u s r e v e r s i o n e mea laetatur;* ubi conf. egregiam Ernestii observationem) *): in tanto horum verborum discri-

*) Etiam in patrio sermone aliud est „zurückkehren,“ aliud „wiederumkehren.“

mine, ex dialecticorum praeceptis fieri non potest, ut alterum alteri explicando inserviat. His ego rationibus adductus non dubito, quin *id — revertamur* affictus aliquis male seduli librarii sit pannus, non cohaerens cum pulchro hujus libri corpore membrum.

Ibid. 56, 204. „Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque: „et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et „*lenissimo* Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos."

In vocabulo *lenissimo* jure offendit *Ellendtius*, negans *acre* ingenium et *lene*, nisi de motibus animorum dicatur, posse componi. Neque quidquam praesidii est ex 92, 317. *Duo tum excellebant oratores, — Cotta et Hortensius, quorum alter remissus, et l e n i s, — alter ornatus, a c e r cett.* aut e *fragment. Hortensii* 10. Vol. IV. P. II, p. 479. *Orell. Quid enim aut Herodoto dulcius, aut Thucydide gravius, aut Philisto brevius, aut Theopompo a c r i u s, aut Ephoro m i t i u s, inveniri potest?* quippe quibus locis omnibus voc. *lenis* orationis genus designet. Nunc vero quum de *ingenio* hoc loco, non de *moribus* amborum aut de *orationis genere* quaeratur, non dubito, quin verum viderit Ellendtius, recte ille quidem emendans *lentissimo,* sed parum ingenue, unde profecerit, reticens. Prope enim viginti sunt anni, quum in eandem conjecturam incidit *Schützius* in *Ciceronis Epistoll. edit. maj.* Vol. III, p. 217., idem tamen conjecturae ibi propositae ita non memor in Opp. Rhett. ed. maj. (minore utendi nobis potestas non fuit), ut in annotationibus ad h. l. ne minimam quidem illius conjecturae mentionem injecerit. Emendationem vero planissime confirmat is, qui totum hunc locum manifesta imitatione expressit, *Quintilianus* Inst. orator. II, 8, 11. *An vero clarissimus ille praeceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, quum de E p h o r o ac T h e o p o m p o sic judicaret, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret; aut in illo l e n t i o r e tarditatem, aut in illo paene p r a e c i p i t i concitationem adjuvandam docendo existimavit, quum alterum alterius natura miscendum orbitraretur?* Sic ille locus distinguendus, ut membrum primarium utrimque pendeat a causali, cujus generis exempla dedit *Beierus* ad *Cic. Oratt. fragmentt.* p. 21.

Ibid. 58, 212. „Istius (Scipionis) genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. Nam

„et de duobus avis jam diximus, Scipione et Crasso; et de tribus proavis, Q. Me-„tello, *cujus quatuor filii*, P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi privatus in li-„bertatem rempublicam vindicavit, Q. Scaevola, etc."

Nemodum in his verbis offendit praeter *Orellium*, qui in Addendis Vol. II, P. I, p. 587. haec annotat: „Cur sic nude: *quatuor filii?* Innumerabiles sane cives Romani totidem habuerant. „Quid multa? Excidit verbum unum: *cujus quatuor filii c o n s u l a r e s*. Cf. §. 81. *Q. Metellus* „*is, cujus quatuor filii consulares fuerunt*." idemque in Addend. V. II, 2. p. 636. „nostra con-„jectura in prioribus Addendis prolata firmatur praeterea Philipp. VIII, §. 14."

Adduci non possum, ut vera mihi videatur Viri praestantissimi conjectura, ad speciem illa quidem blanda sed reapse multis de causis repudianda. De IV Metelli filiis consularibus satis constat e *Plin. Hist. nat.* VII, 45. *Valerio Max.* VII, 1, 1. aliisque scriptoribus, quos laudat *Schützius* in *lexici Ciceroniani* t. I. sive *indice geogr. et histor.* p. 274; sed, quem Orellius, emendationem suam firmaturus, laudat locum hujus libri §. 81., idem Virum doctissimum a corrigendi audacia deterrere debebat. Est enim, quod mireris, non vidisse Orellium, virum alioquin veri perspicacissimum, propter id ipsum, quia hic respicitur ad illum locum, non additum esse vocabulum *consulares*. Quid enim hic opus erat additamento isto, quum, facta jam supra de Metello ejusque quatuor filiis consularibus mentione, nemini legentium dubium esse posset, quem Metellorum Cicero diceret? Tam singularis autem Metelli felicitas, qualem *vix ullius gentis, aetatis, ordinis homini* *) contigisse ait *Vellejus Paterculus* I, 10., potuitne cuiquam Romanorum ignota esse, nisi prorsus in antiquitatis memoria peregrino atque hospiti? Quisquamne de Metello recordari potuit, quin eidem quatuor ejus filiorum consularium in mentem venerit? Quamobrem ne tum quidem addi opus fuisset *consulares*, si nihil antea de Metello commemorasset Tullius. Nihil enim illa res notas et pervulgatas strictim attingendi ac parva significatione ostendendi magis quam explicandi ratione apud Ciceronem frequentius. Quo in genere vereor ne justo saepius critici conjectandi indulserint libidini. Sic Tusc. Disp. I, 35, 85. *Metellus ille honoratis quatuor filiis* facile caremus *Bentleji* conjectura *honoratis*, cui vel ob

---

*) Innumerabiles cives Romani, inquit Orellius, totidem habuerant. Quis negat? At probabile non est, quemquam ex eadem stirpe, gente, familia ortum, eodemque praenomine praeditum totidem sustulisse.

seqq. *at quinquaginta Priamus* locus esse non potest. Unde enim probari potest, quinquaginta illos Priami filios omnes fuisse *honoratos?* Non magis necessarium est, quod idem Bentlejus in ejusdem libri I, 1, 3. *Annis enim ferei DC post Romam conditam Livius fabulam dedit* scribendum censet: *Livius primus* f. d. In talibus enim non omittendo sed addendo peccare solent librarii, nec minus per se intelligitur *primus*, quam de senect. 14, 50. *Vidi etiam senem Livium, qui quum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset — usque ad adolescentiam meam processit aetate.* Etiam Tusc. V, 38, 112. *C. Drusi domum compleri consultoribus solitam accepimus: quum, quorum res esset, sua ipsi non videbant, caecum adhibebant ducem. Pueris nobis, Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat etc.* fuerunt, qui scribendum existimarent *praetorius caecus,* quo vocabulo non opus esse, recte judicat Orellius, quippe in re nota. Eidem tamen V. D. non assentiar, de Finn. II, 35, 116. *Non elogia monumentorum id significant? velut hoc ad portam cett.* legendum suspicanti (Vol. IV, 1, p. 221) *portam Capenam.* Nemo enim Romanus propter praec. voc. *monumentorum* dubitare poterat de porta illa, quare explicatione non erat opus.

Ibid. 65, 232. „Etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior videtur, „quod propero audire de te: nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quae quum „omnibus, tum certe mihi notissimae sunt, quam *[quod]* gradus tuos et quasi pro„gressus dicendi studeo cognoscere.“

Recte viderunt *Ernestius* et *Ellendtius*, delendum esse *quod*, recte iidem verba *de virtutibus — gradus tuos* suspensa voluerunt e *studio cognoscere,* sed nihil erat, quod duplicem *cognoscendi* in eadem enunciatione structuram, elegantissimam illam et optimis quibusque scriptoribus frequentissimam, sollicitaret *Ellendtius.* Mirum enim, ni haec ipsa verborum structura, librariis insolentior visa, in causa fuerit, ut otiosa illa particula interpolaretur. Antiquissimum autem structurae simili modo variatae exemplum habetur apud *Plautum* Poenul. I, 1, 17. *Si tibi lubido' st aut voluptati, sino;* aliorum scriptorum exempla suppeditant *Drackenborch.* ad Liv. XXVIII, 29, 12. *Obbarius* in *Seebodii* tabulario philolog. a. 1825. II, p. 374. idemque in *Jahnii* annal. philolog. et paedagog. a. 1830. XII, 1, p. 66.: nos apud Ciceronem reperimus haec: pro Cluent. 32, 87. *Sed quid ego haec pluribus, quasi de re obscura*

disputem. Ibid. 41, 114. *potius accusari de pecuniis repetundis quam ambitus.* ad Att. IV, 11. Quare ut *homini* curioso, ita *perscribe ad me.* Ibid. XIII, 21, 4. *Vides quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore aut de Pollione.* de nat. Deor. I, 7, 17. *Sed ut hic ne ignoret, quae res agatur: de natura agebamus Deorum* (qui locus satis, opinor, demonstrat, non ubique servatum esse a Latinis discrimen illud inter *agitur aliquid* et *de aliquo*, quod *Kritzius* ad Sallust. Catilin. p. 265. in hunc modum constituit, ut hoc sit *consultari, deliberari*, illud autem *in discrimine versari*). de Orat. III, 29, 114. *Nam aut quid sit, quaeritur, aut quae sit origo cujusque rei, aut causa et ratio, aut de immutatione.* Quibus ex locis ante oculos est, sanissimum esse locum de Orat. II, 15, 63. *Rerum ratio vult et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo: et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel temeritatis, hominumque ipsorum non modo res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellebant, de cujusque vita atque natura*; satis igitur hic locus vindicabitur a *Purgoldi, Schützii, Mülleri* conjectura *excellebant*, *cujusque vita* scribentium, si, quemadmodum *vult* primum cum infinitivo (*significari — declarari*), deinde cum conjunctivo (*ut — explicentur*) conjunctum est, sic *explicentur* dupliciter et cum nominativo (*causae — casus — res gestae*) et cum praepositione *de* (*de vita atque natura* videl. *explicetur*) constructum accipias. Nam quod Orellius putat e superioribus repetendum esse *dicatur*, id fieri non posse, vel me tacente intelligitur. pro Cael. 13, 32. *neque enim muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quam cujusquam inimicam putaverunt.* Cod. Erf. et Quintil. habent *cuiquam*, satis probabiliter. Phil. V, 16, 44. *hic ex Antonii amicis, sed amicioribus libertatis, contra Antonium confecit exercitum* necessario cum Manutio et Lambino et edd. vett. legendum est *libertati;* nam *amiciorem esse alicujus* nemo umquam Romanus, nedum Cicero dixit. Denique de Invent. II, 26, 77. *qui quum de facto turpi aliquo aut inutili aut utroque fateatur* non repudianda videtur Cod. Cass. scriptura *utrumque.*

Ibid. 84, 289. „Quare si anguste et exiliter dicere, est Atticorum, sint sane Attici: sed in „comitium veniant, ad *stantem* judicem dicant, cett.“

In his verbis jure haeserunt Viri docti neque, quid sibi vellet *stans judex*, intelligere po-

tuerunt. Ecce autem exortus est nuper, qui se intelligere diceret ac, nihil moratus Interpretum dubitationes, in *Darmstadiensibus nunciis scholast.* a. 1829. p. 848. interpretaretur „*stantem* scheint den ungeduldigen Richter, welcher aufgestanden ist, zu bezeichnen.“ Itane vero? Immo nihil putem dici potuisse inconsideratius. Non nego unum alterumve judicem, morae impatientem frigidaeque oratoris eloquentiae fastidiosum nonnumquam solere assurgere; in sententia generatim et de universo judicum consessu enunciata sic dici posse nego. Nam quum, qui vulgo *sedent*, tum demum *stare* i. e. assurgere soleant, quum quid placet, nonne luce clarius est, quemadmodum *spectatores* in theatro Lael. 7, 24. *stantes* plaudere dicantur (ex verissima *Beieri* interpretatione, comparantis *Arnob.* IV, 36. et *Aristaenet.* I, 26. ἀνέστηκεν ὀρθός; quibus auctoritatibus addas Cic. Ep. ad Att. II, 19, 2. *Inimici erant equitibus, qui Curioni s t a n t e s plauserant.* pro Sestio 55, 117. *Quum vero ipse, qui ludos faciebat, consul assedit, — s t a n t e s suam erga me benevolentiam declararunt*), sic h. l. *stantem judicem* alium non posse intelligi, nisi benevolum et oratori faventem. Quod quum Ciceronis menti vehementer, si quid aliud, repugnet, fateare necesse est, *stantem* judicem, in hac verborum conformatione stare non posse. Nihil itaque melius invenio nonnullorum criticorum correctione *ad oscitantem judicem,* quae, etsi animum non explet, egregie tamen convenit θορυβοῦντος judicis imagini, qualem Cicero supra expressit 54, 200. *Videt o s c i t a n t e m j u d i c e m, loquentem cum altero, nonnumquam etiam circulantem, mittentem ad horas, quaesitorem, ut dimittat, rogantem.*

Ad Attic. I, 16, 12. „*Ad me autem eadem frequentia postridie convenit, q u a c u m* „*abiens consulatu sum domum reductus.*“

Quum Cicero id dicat, tantam vim hominum ad se concurrisse, quanta ipsum consulatu abeuntem usque ad domum celebrasset; explicari mihi velim, quomodo in ejusmodi sententia ullus praepositioni *cum* possit esse locus. Ego quidem non assequor, lenissimaque mutatione suspicor legendum: *convenit, quae, quum abiens consulatu sum domum reductus.* Ad enunciationes relativas saepe mente repetendum esse verbum membri primarii, satis constat; cfr. Topic. 26, 98. *qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in eis, in quibus*

de omni ratione dicendi; ubi male *Lambin. dicendi diximus.* ibid. 24, 91. *Juris partes tum expositae, quum aequitatis.* Quod autem Academ. II, 39, 123. vulgatur: *eadem omnia effici, quasi stante terra coelum moveretur,* id dubito an a Manutii conjectura *quae, si*, ab Orellio in ordinem recepta, defendant loci, qui sunt *Lael.* 4, 14. *sensu amisso fit idem, quasi natus non esset omnino. Verr.* V, 43, 111. *Is tamen in eadem causa fuit, quasi esset in aliquo manifesto seclere deprehensus.*

> *In Verrem Act. II. lib. II*, 60, 135. „Verum illud est, quamobrem illud commemorem; „quod existimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem *accidere* iis, ex quorum „urbibus haec auferantur."

Nisi omnia me fallunt, mendum hic locus suscepit, leve scilicet, sed mendum tamen. Nam praeterquam quod Ciceronis consuetudo verbum *accidendi* tribuit rebus improvisis ac fortuitis, ad voluntatem vel secus fluentibus, non animi sensui ex rebus illis suscepto, praeterea in verbis *mirum quendam dolorem accidere iis* ne inest quidem ea, quam orationis nexus requirit, sententia. Nihil enim illa verba dicunt aliud, nisi, *mirum iis videri dolorem* cfr. ad Fam. III, 10, 2. *Quae de hominum atque ordinum omnium erga te studiis scribis ad me, minime mihi miranda et maxime jucunda acciderunt.* Quae quum ita sint, *accidere* non potest esse non corruptum. Quod ipsum sensisse videntur item librarii, quorum commentum: *accipere eos* merito rejecit *Orellius.* Quid igitur hic restituendum? Quid censes, nisi *mirum quendam dolorem accedere iis.* Verba *accidendi* et *accedendi* facillime in scribendo permutari posse et permutata esse a librariis constat; cf. in Vatin. 2, 4. pro Cael. 11, 25. de Finn. I, 12, 41. *Ruhnken.* ad Rutil. Lup. p. 3. Neque emendationi nostrae obstat Ellendtii observatio ad Brut. 75, 262. p. 192. docere conantis verba significatus localis, figurato sensu dicta, praepositionem, cum qua composita sunt, iterari jubere, et proinde *accedere ad* aliquem translate, *accidere alicui* autem proprie dici, idemque valere, quod *addi.* Satis enim conjecturam meam firmat ad Att. I, 16, 5. *dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta.* ibid. 10. magnus *dolor accessit.* Omninoque non est tam explorata illa Ellendtii regula, ad id, quod vult, confirmandum, quam videtur. Sic vel Brut. l. l. verba *qui vita excesserant* non sollicitanda erant. Nam quod ait Ellendt., se nullum nosse locum, ubi *excedere* sensu

translato cum nudo ablativo positum reperiatur, primum causam non video, quare, quum dicatur *vita cedere* (Tusc. I. 15, 35), a simplicis structura verbi recedat compositum, deinde fugerunt observatorem parum attentum loci, quales leguntur Phil. II, 5, 12. *vita excedens*; Tusc. Disp. I, 13, 29. *qui vita excesserant;* ad Famill. IV, 5 (Sulpicii) *vita excedere.* Permultum etiam in talibus interest, ante verbum an post verbum regens ponatur nomen rectum. Quamquam in hoc non sunt omnia. De aliis autem verbis ut assentior Ellendtio, ita miror, discrimen illud, quod ipse inter praepositionem vel iteratam vel non iteratam interesse statuit, ab eodem, ubi minime oportuit, esse neglectum. Sic, ut hoc utar, recte vidit, *intueri in rem* esse „animo contemplari;“ *intueri rem* „oculis aspicere;“ sed eadem opera Brut. 72, 253. *inquit in me intuens* praepositia erat delenda ex perpetua Ciceronis consuetudine, cf. §. 300. *inquit me intuens.;* Nat. Deor. I, 7, 17. *inquit, me intuens.* ibid. II, 41, 104. *me intuens, inquit;* de Finn. II, 16, 51. *nos intuens.* Contra ea Brut. §. 22. *mihi, Brute, in te intuenti, crebro venit in mentem vereri;* §. 26. *in Graeciam quam intueor.* §. 331. *in te intuens, Brute,* cett. praepositio loco ponitur, quum *intueri* idem sit, quod *de aliquo cogitare.*

De natura Deorum II, 4, 12. „Itaque inter omnes omnium gentium *summa constat;* „omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum, esse Deos.“

Scabri quid inesse in hujus loci structura interpretes inde a *Victorio* senserunt omnes. Acrioribus enim oculis intuenti dubium esse non poterit, quin vulgaris loci distinguendi ratio plurimis gravissimisque laboret incommodis. Nam, ne dicam, magno sane cum concinnitatis suavitatisque detrimento, disjectis sic singulis periodi membris *), concidi et delumbari sententiam, orationisque ad exitum properantis et eorum, quae hactenus disputata sunt, summam colligentis enervari vim, quam tandem significationem subjectam esse putemus verbis *summa constat?* Eamne, ut idem valere dicamus, quod *eo disputationis nostrae summa redit ut constet?* Ad sententiam recte, ad latinitatem secus, quippe quum sit opus ad sententiam perficiendam vocabulo, quo, cujusmodi summa sit, quae constare dicitur, ac-

---

*) Egregie, ut omnia, *Beierus* ad Offic. t. 2. p. 161. „non solet, inquit, Cicero a re principali periodum in„choare, eaque imperfecta ac velut deserta, subsidere in parenthesi aliqua; sed post interjectam paren„thesin principalem sermonem absolvere.“

curatius declaretur. Nihil itaque agit *Orellius*, ad vulgatam firmandam provocans ad de republ. I, 43, 66. (immo 67.) *Ergo ex hac infinita licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae, mollesque mentes evadant civium, ut* cett. Quod exemplum, quum id ipsum contineat, quod in hoc, qui nunc est in manibus, loco desideramus, non modo nihil probat, sed propter membrum secundarium *ut — evadant*, e primario *haec summa cogitur* aptum, ad confirmandam potius quam infirmandam valet *Victorii* conjecturam, voc. *summa* tamquam glossema delentis, cetera autem verba sic legentis atque interpungentis: *Itaque inter omnes omnium gentium constat, (omnibus — insculptum) esse Deos.* Equidem ut Victorianam loci distinguendi rationem vehementer probo atque laudo, ita de voce *summa* ejicienda longe secus sentio. Neque enim vocabulum ejicere licet, nisi probabilis aliqua ratio, cur addita esse videatur, reddi possit. Quare legat mihi aliquis: *Itaque inter omnes omnium gentium summe constat, (omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum) esse Deos;* judicetque, quantilla correctione adhibita quanto omnia suavius procedant aptiusque cohaereant. De locutione *summe constat* non est quod multi simus; satis eam confirmat Orat. pro Quinctio 19, 61. *Hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium.* Atque haec quidem conjectura (neque hoc arrogantius a me dictum existimari velim) tam certa est, ut ne illa quidem, quae sunt apud Sagram, certiora esse videantur.

Admonet autem argumenti similitudo, ut breviter hic dicatur de loco controverso legg. I, 8, 24. *Itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* Descripsimus locum, quemadmodum *Orellius* edidit, qui hanc adjecit annotationem: „— *man-* „*sueta* Cdd. aliq. Lactantii III, 10, 7. Davis. Goerenz. 2. Moser. Nobb. Cfr. Ochsn. Eclog. „p. 18. Sententiae ipsius conformatio h. l. requirit *immansueta.* Rectum fortasse esset: „„nulla gens neque tam mansueta, neque tam fera est, quae non Deum agnoscat colatque.“ “ „Sed *genti mansuetae* nullo modo ignoratio, qualem Deum habere deceat, aeque ac ferae „tribui poterat. Praeterea hanc si oppositionem voluisset Tullius, non vocabulo *mansuetus*, „quod nimis erat tenue pro hujusmodi sententiae gravitate, sed voc. *humanus, doctus, ex-* „*cultus* esset usus ut de Div. I, 1, 2. Hic est gradatio tantummodo, eaque egregia; nulla „vero ἀντίθεσις.“ Orellium quominus sequar justis ego causis impedior, quas, quoniam

magna et est apud omnes et debet esse Viri eximii auctoritas, paucis explicare visum est. Et primum quidem in verbis *qualem habere Deum deceat* nimis argutatus esse videtur Orellius. Nam quis concedat Viro doctissimo, genti mansuetae nullo modo ignorationem, qualem Deum habere deceat, aeque ac ferae tribui posse? An ignoramus, gentes rudes et, minus eruditis hominum seculis, ab omni doctrinae elegantia remotissimas, saepe et magnificentius et dignius de divini numinis vi atque natura sensisse, quam omnibus optimis artibus excultas atque expolitas? Deinde vocabulum *mansueta* haud paullo mihi efficacius videtur, quam quas in ejus locum substitutas vult voces Orellius, tantum abest, ut nimis esse tenue pro sententiae gravitate existimem. Nam quum Cicero paulo ante omnino de *animantium genere* locutus esset, quidni optimo sane jure in eodem simili versari poterat idque producere longius? Mihi quidem summa humanitas et immanitas brevius propriis verbis exprimi non potuisse videtur, quam est duobus significata translatis. Illud autem cui probari tandem potest, quod negat Orellius ἀντίθεσιν in his verbis inesse et gradationem, eamque egregiam, fieri dicit? Scilicet. Egregia enim gradatio verborum, in quibus non solum gradationis nihil inest, sed ne ullum quidem discrimen, quum, qui *immansuetus* sit, eum esse *ferum* necesse sit itemque retrorsum. Immo quovis pignore certem, Ciceronem, si gradatione uti voluisset, scripturum fuisse: *nulla gens est tam fera, tam immanis*, ut loco simillimo dixit Tusc. I, 13, 30. *Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio*; qui locus, a *Buenemanno*, nescio quomodo, ad firmandam scripturam *immansueta* allatus, tantum abest ut contra me sit, ut etiam pro me sit. Vehementer enim miror, Orellio ceterisque viris doctis, qui voc. *immansueta* patrocinium susceperunt, pro Tulliano probari potuisse vocabulum poetis et posterioris aetatis scriptoribus relinquendum. Numquam enim voc. *immansuetus* usus est Cicero, quum ejus usurpandae millies esset occasio, sed perpetuo aut voc. *immanis* (velut de Republ. I, §. 58. de Invent. I, §. 2.) aut quamvis aliam ejusdem significationis vocem praeoptavit. Stabit itaque illud, *mansueta*, non *immansueta*, veram esse Ciceronis manum.

De republica I, 20, 33. „Quamobrem ut hae feriae nobis ad utilissimos reipublicae „sermones potissimum referantur, Scipionem *rogemus*, ut explicet, quem existimet

„esse optimum statum civitatis. Deinde alia *quaeremus*, quibus cognitis, spero „nos ad *haec ipsa via* perventuros, earumque rerum rationem, quae nunc instant, „explicaturos."

Duplex, quem Mosero hic locus injecit, scrupulus facit, ut duo parietes de eadem, ut ajunt, fidelia nobis dealbandi sint. Primum verborum *rogemus* — *quaeremus* consonantia parum consonans visa est Viro docto. „Exspectes certe, inquit, vel *rogabimus* — *quaeremus*, vel *rogemus* — *quaeramus*. A corrigendo tamen manus abstinui." Bene, quod abstinuit. Non minus enim ad Latinorum rationem quam Graecorum consuetudinem post conjunctivum praesentis sequitur futuri indicativus, comitem ille habens conjunctionem aliquam continuativam, sicubi futura aliqua actio significatur, quae non a praesenti statim tempore inchoetur, sed ad quam, peracta demum altera actione, transiri possit. Cf. Brut. 81, 279. *sed redeamus ad Hortensium tum de nobismet ipsis pauca dicemus.* de fat. 4, 7. *Chrysippo primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus: reliqua postea persequemur*; mutatoque ordine, pro Caecin. 11, 32. *Posterius de verbo videbimus: nunc rem ipsam ponamus.* Plat. Lachet. p. 190, D. Steph. Τοῦτο τοίνυν πρῶτον ἐπιχειρήσωμεν — ἔπειτα μετὰ τοῦτο σκεψόμεθα. Deinde, ut via progrediamur, quum variae sint viae, vv. *ad haec ipsa via perventuros* interpretandi, dubius haeret Moserus, corrigatne: *nos ad haec hac ipsa via perventuros*, an *ipsa via* conjungat in sextoque casu accipiat, mirum quantum devius ille veri. Sine dubio enim construendum est: *perventuros viâ* (i. e. ratione et ordine rei accomodato) *ad haec ipsa* — *quae num instant.* Sic Cicero de Finn. II, 14, 44. *Itaque eo, quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia viâ, Torquate; nisi memoria forte defeceit;* ubi consul. *Goerenz.* p. 189. Quamobrem de legg. I, 13, 37. *iter hujus sermonis, quod sit, vides.* non assentiar Mosero conjicienti: *sed interest hujus sermonis. Videlicet* cett. Nam neque dubia, ut ait V. D., vulgata scriptura est, quippe in qua praeter cod. Cr. omnes Mss. conspirent, neque verum, quod placet eidem, *iter sermonis* apud Ciceronem hac significatione, ut sit, quod nos dicimus: „der Gang der Unterhaltung", vel „der Gang der begonnenen Untersuchung" non inveniri; *) siquidem

*) Minoris momenti ejusdem V. D. error est, quod ad de republ. I, 27. *Cyrus ille Perses* p. 113 existimat, nominativum hujus nominis gentilis alibi non legi apud Ciceronem. Legitur vero Tusc. disp. I, 42, 101. *Perses hostis* cett.

idem Cicero scripsit de Orat. II, 57, 234. *defessus jam labore atque itinere disputationis meae requiescam in Caesaris sermone.* — Potest hic locus exemplo esse, quanta in abjudicandis a Cicerone dicendi formulis cautione ac provisione opus sit. In tanto enim scriptorum Tullianorum ambitu tam periculosum ac lubricum est, vocabulum aliquod ab eo non usurpatum dicere, ut doctissimos saepe viros et in ejus libris excellenter versatos non mediocriter labi hac in re et errare videas. Quod ne quis sine causa a nobis dictum existimet, libet hic interponere (neque enim sejunctum videtur ab institutae scriptionis consilio) vocabulorum aliquot, formarum, locutionum indicem, falso Ciceroni abjudicatarum; non quo reprehensos velim Viros longe multumque me doctiores, sed ut sua constet Tullio integritas neve, quo in errore ipsi sunt VV. DD., in eundem inducant alios. Quo in genere si cui nimis omnino ambitiosus videar in erroribus aucupandis, facillime id patior, modo ne inutilis fuerit haec λόγου ἐκβολή. Qui autem, quasi majorum gentium philologi, omne hoc circa verba studium, tamquam pueriles delicias aliquas, exagitant et contemnunt, ii quam in partem mearum quidquid est nugarum accipiant, non laboro. Sed ad id, quod instituimus, accedamus.

I. *Ernestius* ad III. de Orat. 61, 228. *Vellem ut meus gener, sodalis tuus, affuisset;* particulam *ut*, quippe quae in hac forma addi non soleat, delendum putat, in eundem errorem, quod miror, trahens Orellium. At vero *ut* praeter codd. consensum firmant loci, qui leguntur ad Fam. IV, 14, 4. *de tuis velim, ut eo sis animo, quo debes esse,* ubi Martyni — Laguna del. *ut* contra codd. fidem. ad Att. X, 16, 1. *velim ut tibi amicus sit.* ad Fam. XII, 14, 4. (Lentuli) *de nostra dignitate velim tibi ut semper curae sit.* Ibid. V, 2, 4. *primum hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari — deinde ut mihi ignoscas.* non opus est Lambini conj. *peto ut*, cfr. Plaut. Poenul. V, 4, 11. *Malim istuc aliis ita videatur, quam uti tu te, soror, conlaudes.*

II. Idem ad orat. pro Muren. 19, 38. *quid ego dicam populum ac vulgus imperitorum* cett., negans *vulg. imp.* Ciceronianum esse, legendum suspicatur *imperitum;* quam bene, videris ex locis de Orat. III, 50, 195. *quis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum notet.* de nat. Deor. I, 36, 101. *Quanto melius haec vulgus imperitorum!*

III. *Schellerus* in *Observatt. in pr. script. quosd.* p. 226. ad locum de Off. I, 4, 11. *inter hominem et beluam hac maxime interest, quod haec — ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accomodat;* haec annotat: „quomodo differunt *quod adest* et *quod praesens est?* Alterutrum abesse possit“. Locus sanus est. Et differunt haec verba (quamquam hoc ipsum negat etiam Beierus), neque alterutrum delendum est. Cfr. Tusc. IV, 7, 14. *libido, opinio venturi boni, quod sit ex usu jam paesens esse atque*

adesse. de Finn. I, 17, 55. *Corpore nihil, nisi praesens et quod adest sentire possumus* —; ubi pulchre vidit Bremius, *praesens* ad tempus, *adest* ad locum referendum esse.

IV. *Goerenzius* ad de legg. II, 17, 44. p. 172. itemque ad V. de Finn. 12, 34. p. 572. et in indice p. 664. negat *constare* cum nudo ablativo rei, unde aliquid constare dicatur, a Cicerone construi, *semper*que praepositionem *ex* addi dicit. Frequentius sic dici, fateor; perpetuo, nego. Cf. de Finn. IV, 8, 19. *quum animo constaremus et corpore.* de Invent. I, 39, 70. *Quatuor autem partibus constat argumentatio.* Orat. 57, 191. *Contraque accidere in spondeo et trochaeo, quod alter longis constaret, alter e brevibus fieret.*

V. Idem in *Jahnii* annalibus philol. et paedag. a. 1826. V. I. P. I. p. 43.: Im sechsten Kap. der ersten philipp. Rede ist in *jam prope in quingentesimum annum* Cicero sicher ein Fehler aufgebürdet: denn dieser schrieb nie *jam prope*, sondern stets *prope jam.*" Hoc vero tam inconsiderate dictum Goerenzio, latinae inprimisque Tullianae proprietatis arbitro non uni e multis, excidere potuisse, admirari satis non queo. Verborum enim *jam prope* non minus multa exempla apud Ciceronem inveniuntur, quam vv. *prope jam.* Vide modo Brut. 9, 35. *Lysias, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere.* de Orat. II, 2, 7. *laudem jam prope senescentem.* ad Att. IV, 4. *jam prope praesenti.* pro Cael. 11, 25. in Verr. V, 51, 160.

VI. *Gernhardus* ad Cat. maj. 19, 71. p. 135. „temporis finiti formam verbi *emori* (endi) apud Ciceronem nusquam reperi" et *Doederleinius* in Synonymis t. III. p. 184. „Bemer-„kenswerth ist, worauf Gernhard aufmerksam macht, dass emori, wenigstens bei Cicero, „ausschliesslich nur als Infinitiv vorkömmt." Scilicet immemores fuerunt Viri Cl. loci, qui est Tuscul. I, 40, 96. *Etsi enim flemus, quum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur;* in qua verbi forma omnes ibi codd. consentiunt.

VII. Idem ad Lael. 2, 7. p. 18. *his proximis Nonis*, otiosum, ut ait, pronomen *his*, quod a Cicerone proficisci non potuerit, delet. Gernhardum sequitur Beierus. At nulla causa est, quare a scriptura optimorum codd. recedatur. Locutionem sartam tectam praestat Or. pro Rosc. Comoed. 8, 23. *decem his nonis proximis.*

VIII. Idem V. D. ad ejusdem libri 11, 39. *memoriae proditum est* p. 87. optimo sane jure rejicit nonnullorum codd. scripturam *traditum est*, sed minus bene addit: „pro *memoriae trad.* Ciceroni ubique placet: *proditum memoriae* vel *memoria*, vel nude positum *proditum.*" *Kleinius*, ab Orellio et Beiero laudatus, quomodo in Misc. critt. I, 3. p. 501. locutionem Ciceroni vindicarit, quum ejus mihi libri copia non sit, nescio; id scio, et *traditum* et *memoriae traditum est* satis Ciceronianum esse, quorum quidem utrumque pro Rosc. Comoed. 2, 6. pro Muren. 28, 59. Paradox. III, 2, 23. de legg. I, 1, 3. Tusc. I, 3, 5. sine ulla scripturae varietate legatur.

IX. *Zumptius* in Gramm. latin. §. 698. p. 531. ed. sext.: „Bei Cicero findet sich der Gebrauch des *et ipse*, wenn einem zweiten Subjekte dasselbe Prädikat beigelegt wird, unsres Wissens, nicht; häufig dagegen bei Curtius und andern Spätern.“ Ne Ciceronem quidem hoc hujus formulae usu abstinuisse, fidem faciet Orat. pro Cluent. 51, 140. *Quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus ejus orationibus capita alterna inter se contraria, recitanda curasset* —: [141] *deinde* (L. Crassus) — *tres et ipse excitavit recitatores, cum singulis libellis* cett. Qui locus satis firmat plurimorum codd. scripturam de Inv. II, 2, 7. *Ab hoc autem qui profecti sunt, quamquam in maximis philosophiae partibus operae plurimum consumpserunt, sicut et ipse, cujus instituta sequebantur, fecerat; tamen permulta nobis praecepta loquendi reliquerunt;* ut non anteferenda sit cod. Turic. script. *sicuti ipse.* Bene etiam *Lindemannus* p. 529.: „In hac formula *et ipse* Cicero Graecos videtur secutus esse, qui *καὶ αὐτός* tanto opere frequentant, ut homini Latino, qui Graece sciret, formula *et ipse* vix evitabilis esset.“

X. *Ramshornius* Gr. lat. §. 197. p. 628, 3.: „Cicero sagt nie sponte sua, wohl aber bisweilen andere.“ Videlicet, ne in versum incideret, hanc verborum collocationem a Cicerone repudiatam esse putant. Verum enim vero, ut *crede mihi* non sprevit Tullius (cf. *Beier.* Off. t. 2. p. 324.), sic idem *sponte sua* dixit de Invent. II, 27, 80. pro Sestio 47, 100.

XI. Orellius ad Paradox. II, 18. *te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant judiciorum atque legum* praefert nonnullorum codd. scripturam *exanimat*, dubitans num *metus* umquam plurali numero apud Ciceronem inveniatur. At nihil est, de quo minus dubitari possit. Pluraliter enim dicitur ad Famill. V, 15. *propter quotidianos metus.* Oratt. partt. 9, 32. *suavis narratio est, quae habet admirationes — dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates.* Tusc. IV, 9, 22. *et aegritudines et metus et relicuae perturbationes gignuntur.* Ibid. V, 6, 16. *nulli metus terrent.* de nat. Deor. I, 17, 45. *quibus remotis, nullos a superis impendere metus.* de divinat. II, 72, 150.

XII. Idem ad orat. pro Fontejo VI, 13. *quanto studio existimationis bonae* cett. haec annotat: „v. *bonae* utique suspect. Plerumque enim *existimationem* simpliciter hoc sensu usurpat Tullius.“ At quum Cicero *bonam existimationem* usurparit de Inv. II, 52, 157. de Or. II, 40, 172. itemque *bonam famam* de Finn. III, 17, 57. causam non video, quare voc. *bonae* in glossematis suspicionem vocari debeat.

XIII. Eidem ad de Finn. III, 3, 11. *istam — virtutem non magno aestimandam puto* cum Lambino legendum videtur *magni*, ex perpetuo, ut ait, Ciceronis usu. Ergo Paradox. §. 51. de Finn. IV, §. 62. V, §. 90. Tusc. III, §. 8. *facere* cum ablativo pretii, quem vocant, jungere licuit Ciceroni, hoc loco non licuit?

XIV. Ab eodem V. D. nollem pro leg. Manil. 16, 46. *ii, quibus semper erat molestum, ad*

eum potissimum esse missum, *speculatorem*, *quam legatum judicari maluerunt*; repudiata esset felix et palmaria Gulelmii conjectura: *per erat molestum.* Quod eo errore fecit Orellius, quod, ut hoc loco, sic ad Tusc. IV, 16, 36., existimavit, hujusmodi τμῆσιν tantummodo ante pronomen locum habere. Sed latius patuisse ejus usum demonstrant loci ad Famm. III, 5. *Mihi Phanias dixit, p e r fore a c c o m o d a t u m tibi.* ad Att. X, 1. *p e r enim m a g n i aestimo* de Orat. I, 47. *Pergrata p e r q u e j u c u n d a.*

XV. *Beierus* ad Lael. 6, 22. *ut ait Ennius* annotavit: „cod. Dresdan. 106. *ut Ennius ait:* qua transpositione v. *ait* paene suspectum fit. Apud Graecos certe in citandi formulis ellipsis verbi φησί sollennis est. V. Lamb. Bosii *ellipses* p. 376. 389. Sed non memini ejusmodi exemplum apud Latinos me legere.“ Legitur vero apud ipsum Ciceronem de nat. Deor. II, 2, 5. *Qui potuisset assensu omnium dicere Ennius, — illum vero et Jovem — et, u t i d e m E n n i u s, „patrem deorumque hominumque.“* Nihil itaque erat, quod in ejusdem libri I, 35, 97. *Quid? canis nonne similis lupo? atque, u t E n n i u s, simia quam similis* cett. haec codd. omnium scriptura sollicitaretur, quam praeterea firmat Tusc. I, 26, 64. *Philosophia quid est aliud, nisi, u t P l a t o, donum Deorum?*

Atque haec quidem hactenus. Ultra enim ne progrediamur, tum praescripti his libellis fines vetant, tum justissimus prohibet metus, quod veremur, ne haec ipsa fuerint non necessaria, similesque videamur tibicinis illius Arabis,

δραχμῆς ὃς ηὔλει, τεττάρων δ᾽ ἐπαύετο.

Transeundem autem ad id, cujus causa omnis haec scriptio instituta est. Indicimus igitur sollennia anniversaria crastino die post horam tertiam pomeridianam in Gymnasio nostro rite peragenda, quo die ut frequentes adesse velitis, *Amplissimi hujus urbis Proceres*, *Parentes discipulorum nostrorum Honoratissimi, et relicui literarum cultores ac fautores*, utque orationes adolescentium, quibus hunc diem celebrare conabuntur, ea, qua soletis, facilitate audiatis, vehementer etiam atque etiam rogamus.

Biponti die XXX Augusti MDCCCXXX.

Nachricht

über die

königl. Studien-Anstalt zu Zweibrücken, im Studien-Jahre 18$^{29}/_{30}$.

A. Gymnasium.

Vierte oder Ober-Gymnasial-Klasse.

Protestantischer Religionslehrer: Professor Hertel, Rector der Lehranstalt. Katholischer Religionslehrer: Herr Stadtpfarrer Tafel. Klassenlehrer: Herr Professor Teller. Lehrer der Mathematik: Herr Professor Zäch. Lehrer der französischen Sprache: Herr Bettinger.

Anmerkung. Den Unterricht in der Religion und Mathematik ertheilen die nämlichen Lehrer in allen Klassen des Gymnasiums, und der französische Lehrer gibt seinen Unterricht in allen Klassen der ganzen Anstalt. Seit dem Monat März 1830 wird mit Genehmigung der königl. Kreisregierung auch den israelitischen Schülern von dem Privatlehrer Herrn David Kohn Unterricht in ihrer Religion gegeben.

Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.	Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.
*1	1	Philipp Ludwig Krafft, von Katzweiler	19	8	8	Ludwig Beer, von Pirmasens . .	21½
*2	2	Theodor Krafft, von Katzweiler . .	17¾	9	7	Karl Kalbfuß, von Kriegsfeld .	19¾
*2	3	Karl Moritz, von Zweibrücken . .	18½	10	14	Adolph Segler, von Waldfischbach .	20¼
4	10	Friedrich Linn, von Meisenheim . .	18½	11	11	Karl Wies, von Blieskastel . . .	19¼
5	6	Theodor Bettger, von Grünstadt .	19½	12	12	Joseph Grimm, von Kusel	18¾
6	4	Friedrich Kieffer, von Pirmasens .	19¼	13	9	Franz Röbel, von Neustadt . . .	19
7	5	Jakob Schauberg, von Dürkheim .	19¾	14	13	Johann Natter, v. Limbach-Fockenberg	21

Anmerk. 1. Die mit * bezeichneten erhalten Preisebücher, Preis-Diplome und Accessite.
2. Sämmtliche Schüler gehen an die Universität über, wozu sie schon im vorigen Jahre die Ermächtigung hatten, und wird ihnen dieses Schuljahr für ein Universitätsjahr zählen.

Dritte Gymnasial-Klasse.

Klassenlehrer: Herr Professor Dr. Kirchner.

Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.	Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.
*1	1	Ludwig Weiß, von Zweibrücken . .	17¾	10	11	August Roos, von Zweibrücken . .	16¾
*2	2	Philipp Klund, von Wolmesheim .	18¾	11	14	Christian Welsch, von Odernheim .	19
*2	2	Jakob Wischan, von Kriegsfeld . .	17¼	12	7	Christian Kalbfuß, von Kriegsfeld .	17½
4	4	Andreas Meyer, von Omersheim .	19	13	9	Adolph Giessen, v. Kirchheimbolanden	17¾
5	5	Friedrich Müller, von Landau . .	19	14	8	Jakob Frank, von Wachenheim . .	20
6	13	Peter Link, von Bierbach	20	—	—	Heinrich Bechtelsheimer, von Marnheim	20½
6	12	Ludwig Ritter, von Hardenburg .	19½				
6	6	Jakob Mohr, von Landau	19	—	—	Jakob Gassenberger, von Marnheim	18½
9	10	Georg Schmidt, von Rehweiler . .	19	—	—	Lorenz Hertle, von Bergzabern . .	19¾

Anmerk. 1. Frank wurde durch 5 monatliche Krankheit vom Schulbesuche abgehalten.
2. Bechtelsheimer und Gassenberger traten erst im 2. Semester, Hertle erst gegen das Ende des Studienjahres in die Klasse, und wurden deßhalb nicht in die allgemeine Fortgangs-Berechnung gebracht.
3. Gassenberger wurde entlassen.
4. Die Schüler dieser Klasse können nach bestandener Prüfung pro Absolutorio an ein vollständiges Lyceum oder an die Universität übergehen; diejenigen, welche am Gymnasium bleiben, werden in die Oberklasse befördert.

Zweite Gymnasial-Klasse.

Klassenlehrer: Herr Professor Zimmermann.

Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.	Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.
*1	8	Karl Kämpf, von Zweibrücken . .	17	14	10	Ludwig Schäffer, von Zweibrücken .	20
*2	9	Ludwig Martini, von Lauterecken .	18	15	—	Ernst Friedlein, von Erlangen . .	18
*3	2	Leo Herz, von Blieskastel	18¼	16	4	Karl Simon, von Zweibrücken . .	17¾
4	3	Friedrich Glaser, v. Kirchheimbolanden	16	17	21	Karl Benzino, von Landstuhl . . .	15¼
5	20	Ludwig Fries, von Winnweiler . .	17½	17	6	Georg Bergthold, von Zweibrücken .	19¼
6	5	Herrmann Dick, von Frankenthal .	15¾	19	13	Friedrich Merling, von Birkenfeld (Oldenb.)	16¼
7	15	Karl Merling, v. Birkenfeld (Oldenb.)	18¼	20	1	David Hubert, von Zweibrücken . .	18¼
8	—	Friedrich Candidus, von Fischbach bei Lautern	16½	21	19	Eduard Eisenmenger, von Zweibrücken	18
9	22	Karl Metz, von Nohfelden (Oldenb.)	16¼	22	14	Joseph Botta, von Landau	21⅙
10	12	Karl Dörr, von Otterberg	18¼	23	17	Joseph Knapp, von Kusel	19½
11	7	Ludwig Ilgen, von Grünstadt . .	15¼	24	—	Nikolaus Rückert, von Zweibrücken .	21
12	16	Nikolaus Mischo, von Medelsheim .	23½	—	—	Friedrich Neuberger, von Kusel . .	20
13	11	Theodor Gümbel, von Dannenfels .	18	—	—	Ludwig Rohrbacher, von Ernstweiler	18

Anmerk. 1. Neuberger und Rohrbacher traten erst im zweiten Semester ein, und haben ihre Stelle im letzten Drittheil.
2. Nro. 1 — 16 werden zur Beförderung vorgeschlagen; die folgenden gehen bedingt über.

Erste Gymnasial-Klasse.

Klassenlehrer: Herr Professor Krieger.

Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.	Allgem. Fortgpl.	Franzöf. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.
*1	1	Karl Huber, von Zweibrücken . .	15½	19	15	Friedrich Herold, von Zweibrücken .	16
*2	1	Christian Caspar, von Zweibrücken .	15¼	20	7	Jakob Hennemann, von Zweibrücken	17¾
*3	1	Karl Exter, von Zweibrücken . . .	14	21	21	Christian Karcher, von Kaiserlautern	16½
4	5	Johann Fries, von Wittersheim . .	18½	22	—	Eduard Lang, von Neustadt a. d. H.	14½
4	15	Karl Bruch, von Pirmasens . . .	18½	23	11	Franz Böcking, von Zweibrücken . .	14½
6	1	Friedrich Dupre, von Laumersheim	15¾	24	17	Karl Hänchen, von Annweiler . .	14¾
6	17	August Heusner, von Kaiserslautern	15¼	25	26	Karl Gerlach, von Kaiserslautern .	16½
8	7	Georg Rörig, von Marnheim . . .	19	26	—	Rudolph Schultz, von Zweibrücken .	19
9	5	Johann Eckhard, von Kallbach . .	16½	27	—	Wilhelm Schultz, von Zweibrücken .	14¾
9	21	Julius Gentes, von Zweibrücken .	15	28	11	Jakob Wack, von Medelsheim . .	17½
11	7	Karl Nagel, von Glan-Odernheim .	19	29	24	Heinrich Balbier, von Kaiserslautern	16¼
12	11	Karl Ruppenthal, von Zweibrücken .	14¾	30	17	August Koller, von Kaiserslautern .	15
13	25	Gustav Görlitz, v. Nohfelden (Oldenb.)	15¾	31	23	Heinrich Machwirth, von Kerzenheim	14¾
14	20	Karl Didier, von Homburg . . .	16¾	32	17	Theobald Engelbert, von Medelsheim	20
15	—	Johann Feibel, von Blickweiler . .	18½	33	—	Johann Stork, von Bann	19½
16	—	Julius Denis, von Zweibrücken . .	17	—	—	Gustav Baumann, von Einöllen .	17½
17	7	Jakob Bold, von Knopp	18½	—	—	Karl Eduard Mogg, von Stuttgart	15
18	11	Theodor Heintz, von Zweibrücken .	15¼				

Anmerk. In die folgende Klasse gehen über Nro. 1 — 24 incl. Von den folgenden werden bedingt befördert bis 31 incl.

Interims-Klasse.

Klassenlehrer: Herr Professor Zöller.

Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.
*1	1	Christian Schmidt, von Birkenfeld (Oldenb.)	16 5/12
*2	5	Johannes Schilling, von Walschbronn	17 1/6
*3	7	Peter Schiefer, von Fehrbach . . .	21 1/2
*4	4	Karl Waibel, von Zweibrücken . .	16 1/4
*5	3	Paul Ritterbeck, von Hauptstuhl . .	18 2/3
6	7	Franz Schuler, von Zweibrücken .	14 1/6
7	11	Georg Firmery, von Altheim . . .	18 1/4
8	10	Theodor Schuler, von Landstuhl . .	14 2/3
9	12	Karl Aulenbach, von Homburg . .	16 1/2
10	8	Gustav Herche, von Zweibrücken . .	15 1/4
11	6	Nikolaus Grau, von Pirmasens . .	19 1/2
12	3	Ludwig Pauly, v. Mörschied (Oldenb.)	16 2/3
13	12	Heinrich Heck, von Zweibrücken . .	13 3/4
14	7	Friedrich Koch, von Nieder-Wörresbach (Oldenb.)	13 5/6
14	10	Karl Ritter, von Sembach	15
16	10	Georg Wenz, von Zweibrücken . .	15 1/4
17	13	Wilhelm Hopff, von Zweibrücken .	14 5/6
18	13	Christian Vatter, von Zweibrücken .	14 1/4
19	16	Philipp Closmann, von Zweibrücken	14 3/4
20	2	Karl Lichtenberger, von Zweibrücken	14 1/6
21	15	Georg Hatry, von Zweibrücken . .	15 1/4
22	9	Julius Cäsar, von Oberstein (Oldenb.)	16 1/2
23	14	Friedrich Wild, von Neu-Hornbach	15 1/6
—	16	Peter Zäch, von Zweibrücken . . .	17 1/6

Anmerk. 1. Da die neue Schulordnung eine Prüfung für die Aufnahme in das Gymnasium verordnet, so haben die Schüler dieser Klasse gedachte Prüfung, welche unmittelbar vor dem Anfange des neuen Schuljahres Statt haben wird, ebenfalls zu bestehen, was sie zur tüchtigen Vorbereitung und Benutzung der Ferien ermuntern muß.

B. Lateinische Schule.

1. Obere Klasse.

Klassenlehrer: Herr Professor Vogel.

Allgem. Fortgpl.	Griechis. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter Jahre.
*1	1	4	Ludwig Greiner, von Thaleischweiler	15 1/2
*2	2	2	Theodor Zimmermann, von Zweibrücken	12
*3	6	3	Heinrich Pfeiffer, von Pirmasens .	15 1/4
*4	9	14	Karl Albrecht, von Zweibrücken . .	15 1/4
*5	8	18	Johannes Welsch, von Alsenz . .	14 2/3
6	4	6	Jakob Rödter, von Zweibrücken .	13
7	7	17	August Vogt, von Glan-Münchweiler	15 3/4
8	12	11	Ludwig Molitor, von Zweibrücken	13 1/4
9	5	8	Philipp Seibel, von Zweibrücken .	14 3/4
10	—	11	Stephan Herrmann, von Zweibrücken	14 1/2
11	10	21	Jakob Bittig, von Kirrweiler . .	15 5/6
12	11	7	Theodor Engelmann, v. Steinwenden	14 1/2
13	—	5	Ludwig Grimmeisen, von Erlenbrunn	15 3/4
14	—	21	Konrad Diehl, von Annweiler . .	14 1/4
14	3	7	Anton Ruppert, von Habkirchen .	14 5/6
16	15	5	Frdch. Lichtenberger, von Zweibrücken	12 3/4
17	—	14	Karl Lang, von Zweibrücken . . .	13 1/4
18	13	19	Karl Pletsch, von Aßweiler . . .	14 1/2
19	—	1	Julius Neubert, von Zweibrücken	15 1/4
20	14	—	Philipp Barbier, von Habkirchen .	16 3/4
—	—	8	Reinhard Kruel, von Sembach . .	15 1/2
—	—	20	Karl Görlitz, von Nohfelden (Oldenb.)	15 1/4
—	—	—	Friedrich von Hofenfels, von Zweibrücken	15 1/6
—	—	—	Adolph Theysohn, von Zweibrücken	16 1/3
—	—	—	Wilhelm Welsch, von Alsenz . . .	16 1/4
—	—	—	Eduard Zorn, von Zweibrücken .	13 3/4

Anmerk. 1. Kruel trat erst im letzten Drittheil des Jahres in die Schule; die übrigen in die allgemeine Fortgangsberechnung nicht eingereihten Schüler nahmen am lateinischen Unterrichte keinen Antheil.

2. Nro. 1 — 17 gehen in die folgende Klasse über.

2. Mittlere Klasse. Klassenlehrer: Herr Professor Kuby.

Allgem. Fortgpl.	Griech. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter Jahre.	Allgem. Fortgpl.	Griech. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter Jahre.
*1	*1	1	Philipp Syffert, von Homburg . .	14	13	5	17	Karl Herold, von Zweibrücken . .	12½
*2	2	5	Karl Schmidt, von Zweibrücken .	13	14	—	18	Ludwig Jakoby, von Ernstweiler .	14¾
*3	9	22	Ludwig Escherich, von Zweibrücken	13	15	13	4	Karl Vogt, von Wolfstein . . .	15
*3	11	3	Wilhelm Molitor, von Zweibrücken	11	16	14	7	Adolph Schlick, von Zweibrücken .	14½
5	6	12	Andreas Helffer, von Pirmasens .	14	17	20	16	Max v. Hofenfels, von Zweibrücken	14
6	15	10	Adam Blum, von Rodalben . .	16	18	17	14	Eduard Karl Franz, von Lebach im K. Preußen	14½
7	6	2	Ludwig Hiltebrandt, von Homburg	13					
8	4	13	August Lehmann, von Zweibrücken	13½	19	15	6	Erdmann Bauer, von Hof . . .	14
9	9	11	Georg de Puyt, von Quirnheim .	14	20	18	20	Alexander Böcking, von Zweibrücken	11¾
10	3	15	Peter Hauck, von Rodalben . . .	14	21	18	21	Ludwig Herold, von Zweibrücken .	14½
10	8	9	Adam Stuky, von Zweibrücken .	13	22	—	19	Samuel Noe, von Zweibrücken .	14¼
12	12	8	Jakob Zahm, von Kübelberg . .	16	—	—	—	Alexander Bauer, von Hof . . .	10

Anmerk. 1. Nro. 1 — 19 gehen in die folgende Klasse über.

3. Untere Klasse. Klassenlehrer: Herr Professor Postius.

Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.	Allgem. Fortgpl.	Französ. Fortgpl.	Namen der Schüler nach ihrem Fortgange.	Alter. Jahre.
*1	14	Friedrich Ambos, von Zweibrücken .	10¾	38	8	Ludwig Zahm, von Zweibrücken . .	10
*2	9	Felix Zimmermann, von Zweibrücken	11	39	63	Hermann Knaps, von Blieskastel .	11¼
*3	44	Georg Klein, von St. Ingbert . .	14¼	40	29	Karl Müller, von Winterbach . . .	10¼
*4	25	Heinrich Gink, von Ernstweiler . .	9½	41	22	Karl Rossi, von Zweibrücken . . .	10½
*4	2	Heinrich Henigst, von Zweibrücken .	11½	42	31	Emil Lichtenberger, von Zweibrücken	11¾
*6	5	Johann Kretz, von Zweibrücken . .	13	43	35	Lehmann Gugenheimer v. Zweibrücken	13
*7	5	Heinrich Scharnberger, von Pirmasens	11¾	44	35	Konrad Wildt, von Zweibrücken . .	12¼
*8	1	Emil Stöhr, von Zweibrücken . .	10	45	48	Emil Fuchs, von Zweibrücken . . .	10½
*9	9	August Schuler, von Zweibrücken .	12¼	46	57	Emil Spach, von Zweibrücken . .	9¾
*10	2	Jakob Römer, von Zweibrücken . .	13¼	47	31	Emil Baumüller, von Zweibrücken .	8½
*11	35	Jakob Locher, von Zweibrücken . .	9¾	48	12	Christian Fickeisen, von Zweibrücken	12¾
*12	7	Ludwig Röhling, von Zweibrücken .	12¼	49	56	Ludwig Maier, von Zweibrücken .	12½
13	9	Friedrich Bruch, von Pirmasens . .	12½	50	31	Jakob Wild, von Zweibrücken . .	14
14	49	Peter Bachmann, von Ernstweiler .	12½	51	66	Philipp Kaul, von Zweibrücken . .	10¾
15	26	Otto Hepp, von Zweibrücken . . .	12¾	52	14	Friedrich von Esbeck, von Zweibrücken	10¼
16	17	Jakob Helwig, von Zweibrücken . .	12	53	72	Georg Erbelding, von Zweibrücken .	10½
17	2	Karl Lilier, von Zweibrücken . . .	11¼	54	60	Ludwig Locher, von Zweibrücken . .	12¾
18	14	Joseph Schuler, von Zweibrücken .	11½	55	54	Joseph Gugenheimer, von Zweibrücken	11¾
19	38	Max Neu, von Obermoschel . . .	13	56	59	Ludwig Singer, von Zweibrücken .	12¼
20	42	Karl Römer, von Zweibrücken . .	10¾	57	72	Georg Schöffler, von Zweibrücken .	11
21	38	Ferdinand Rossi, von Zweibrücken .	11½	58	21	Eduard Lilier, von Zweibrücken . .	9¾
22	17	Friedrich Neubert, von Zweibrücken	12	59	47	Aron Levi, von Blieskastel . . .	12
23	46	Georg Hamm, von Wittersheim . .	13¾	60	58	Wilhelm de Puyt, von Blieskastel .	12
24	31	Karl Lang, von Zweibrücken . . .	12¼	61	73	Wilhelm Milius, von Zweibrücken .	14
25	12	Ludwig Koch, von Zweibrücken . .	11¼	62	55	Friedrich Bähr, von Zweibrücken .	11½
26	23	Karl Guth, von Zweibrücken . . .	11¾	63	68	Max Chiperovsky, von Zweibrücken	10½
27	45	Karl Mahler, von Wolfstein . . .	14¼	64	43	Karl Hendrich, von Zweibrücken . .	9
28	63	Jakob Heck, von Zweibrücken . . .	11¼	65	63	Georg Heck, von Zweibrücken . .	12¼
29	50	Karl Géenen, von Rodalben . . .	14¼	66	70	Karl Locher II., von Zweibrücken .	10½
30	67	Bernhard Zäch, von Zweibrücken .	12	67	71	Georg Schneider, von Zweibrücken .	11½
31	41	Wilhelm Haldi, von Diemenringen .	13½	68	52	Heinrich Hopff, von Zweibrücken .	10½
32	28	Jakob Koch, von Kusel	11¾	69	53	Jakob Gugenheimer, von Zweibrücken	14
33	24	Christian Cullmann, von Zweibrücken	12¾	70	51	Jokob Zulehner, von Zweibrücken .	14
34	17	Adolph Baumüller, von Zweibrücken	10	71	38	Friedrich Zorn, von Zweibrücken .	12
35	27	Egid Feß, von Zweibrücken . . .	12	72	60	August Schmidt, von Zweibrücken .	10¼
36	29	August Gümbel, von Dannenfels .	12¾	73	69	Ludwig Wolf, von Zweibrücken . .	11¾
37	17	Maier Hubert, von Zweibrücken . .	13	74	60	Balthasar Blum, vom Schwarzenacker	12

Anmerk. 1. Nro. 1 — 52 incl. werden in die Mittelklasse befördert.

Die Lectionen in sämmtlichen Lehrgegenständen, in Religion, Sprachen und Wissenschaften, sind in allen Klassen der Studienanstalt streng nach den Vorschriften des Studienplans von 1829 gegeben worden, weßwegen ihre namentliche Aufzählung bei jeder Klasse, auch nach dem Beispiel mehrerer Schul- und Jahresberichte des Königreichs, nicht mehr nöthig erachtet wurde.

Außer dem gewöhnlichen Klassen-Unterricht wurde auch in der Hebräischen Sprache, im Zeichnen, in der Kalligraphie und im Gesang Unterricht gegeben.

Im Hebräischen gab Herr Prof. Zimmermann den Unterricht in den zwei oberen, Herr Kuby in den zwei unteren Gymnasial-Klassen. Letzterer leitete auch die Turnübungen.

Im Zeichnen unterrichtete Herr Zeichnungslehrer Veiel die Schüler aus allen Klassen in Figuren-, Landschafts- und Architektur-Zeichnungen, wie auch nicht weniger in der Pastell-, Aquarell- und Oel-Malerei.

In der Kalligraphie und im Gesang gab der bestellte Lehrer, Herr Zahm, den Unterricht.

Geschichte der Studien-Anstalt $18\frac{29}{30}$.

Die letzten Tage des Oktobers 1829 wurden angewendet, die Schüler für den neuen Lehrkurs einzuschreiben und nach ihrer Vorbereitung in die Klassen einzuweisen. Hierauf nahm der Unterricht am 2. November an der ganzen Lehranstalt seinen Anfang und wurde, da die gütige Vorsehung Lehrer und Schüler vor Krankheiten schützte, das ganze Jahr hindurch ohne Unterbrechung fortgesetzt.

Da wegen der bestehenden Allerhöchsten Verordnungen an der Einführung des Studienplans vom 8. Februar 1829 nicht zu zweifeln war, so wurde gleich anfänglich in Gemäßheit desselben die vorläufige Einrichtung getroffen, und waren daher bei seiner wirklichen Einführung keine weitere Abänderungen nothwendig, als welche aus dem königl. Regierungs-Rescript vom 11. November, durch welches seine Einführung verordnet wurde, theils in Hinsicht auf die Eintheilung der Lehranstalt in Klassen des Gymnasiums und solche der lateinischen Schule, theils und insonderheit in Hinsicht auf die oben bei den Verzeichnissen sämmtlicher Klassen angegebene provisorische Bestimmung des Lehrpersonales hervorgegangen sind.

Mit der Einführung des neuen Studienplans trat auch das verordnete Scholarchat ins Leben, welches für die Aufrechthaltung der Schuldisciplin, für die Ordnung und Sittlichkeit der Schüler und für das Gedeihen der Lehranstalt im Allgemeinen einen segensreichen Wirkungskreis findet. Herr Stadtpfarrer und Kapitelsenior Kämpf, Herr Polizei-Commissär Weis, und Herr Kaufmann Lichtenberger wurden als Glieder desselben gewählt und bestätigt.

Das jährliche Schul- und Jugendfest wurde auf die nämliche Weise, wie im vorigen Jahre, am 1. Mai mit musikalischen und deklamatorischen Vorträgen gefeiert.



Für Lehrer und Schüler gleich erfreulich muß der Beifall seyn, welchen Seine Excellenz der Herr Regierungs-Präsident bei seinem dießjährigen Besuche über den Zustand der Anstalt zu erkennen gab.

Die Gymnasial-Bibliothek erhielt in diesem Jahre durch die öffentliche Freigebigkeit einen Zuwachs mit folgenden Schriften: Eichhorns Geschichte der drei letzten Jahrhunderte, 6 Bände; Mannerts Geschichte Bayerns, 2 Bde; Rosenmülleri Scholia in V., T. 19 vol.; Bretschneiders Lexicon Manuale graeco-lat. in libros V. T., 2 vol.; J. H. Voß kritische Blätter, 2 Bände; Ritters Geschichte der Philosophie; Idelers Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie, 2 Bände; Niebuhr's kleine historische und philologische Schriften, erste Sammlung; Plato von Schneider, vol. 1; Ciceronis Tuscul. disput. liber, ed Orell. Sodann verdanken wir der besondern Güte des Herrn Appellationsraths Hoffmann dahier die von ihm in Druck gegebene Schrift: Untersuchung über die wichtigsten Angelegenheiten des Menschen, als Staats- und Weltbürger. Zweibrücken 1830 im Verlag von Ritter. Noch am Schlusse des Schuljahres verehrte die hohe königl. Regierung der Bibliothek: Ostertags Abriß der Teutschen Geschichte 2 Theile 1825, welches ebenfalls mit Danksagung bemerkt wird.

Auch die Lesebibliothek der Schüler erhielt durch folgende Werke eine schöne Vermehrung: Wallace Denkwürdigkeiten Ostindiens; Denhams und Clapp. Reisen nach Ostindien; Niemeyers Reisen nach England, Frankreich und Holland; Walsh Reise nach Konstantinopel, Pyrker's Tunisias und Rudolphias; Die Biographien von Ense; Kotzebue's Reise um die Welt; Tiedge's Werke; Niemeyers deutscher Plutarch; Müller's Leben des Erasmus; die Lehren der Religion, erläutert durch Beispiele, von Haupt ꝛc.

Die unbemittelten Schüler erhielten in 9 Stipendien 640 fl. durch öffentliche Freigebigkeit, und auch durch Freitische bei guten Einwohnern hiesiger Stadt kräftige Unterstützung. Sich durch Fleiß und Sittlichkeit für diese Wohlthaten recht dankbar zu beweisen ist der Empfänger unerläßliche Pflicht.

Die Concurs-Prüfungen für Universitäts- und Gymnasial-Stipendien wurden am 19. Mai, die Endprüfungen am 23., 24., u. 26. August und die Prüfungen pro absolutorio den 27. u. 28. August gehalten, das Schuljahr aber mit der Preisvertheilung den 31. hernach geschlossen.

Von 253 Schülern, welche im Anfang des Schuljahrs inscribirt wurden, waren am Schlusse desselben vorhanden 239, welche in obigen Klassen-Abtheilungen verzeichnet sind, und mit wenigen Ausnahmen das Lob des Fleißes und der Sittlichkeit treu bewahrt haben.

Der Lehrkurs für's folgende Schuljahr wird nach den Bestimmungen der neuen Schulordnung den 16. Oktober seinen Anfang nehmen.

Zweibrücken, den 28. August 1830.

Mertel, Rector.